QVÆDAM VTILIA PRO SACERDOTIBVS SEMINARISTIS Missionariis Angliæ.

Una cum methodo agendi cum Hæreticis, Schismaticis & Catholicis Anglis.

Authore RICHARDO SMITHEO Episcopo Chalcedonensi, Angliæ & Scotiæ ordinario.

Cui adiectum est Legatum ANTONII CHAMPNEI *Doctoris Sorbonici, Fratribus suis Cleri Anglicani Sacerdotibus, testamento relictum.*

Editio Nova.

LONDINI,
M. DC. XCV.

Admodum R. Dom. Cl. Sec. Angl. Sacerd. Miſſionariis Fratribus meis Chariſs. S.

Adm. R. D. & Chariſs. Fratres.

AUrea Reverendiſſimi Calcedonenſis Monita (veteribus à multo tempore diſtractis & conſumptis exemplaribus) recenti è prelo, veſtras ad manus advolant, non perfunctoriè percurrenda, ſed ſeriâ meditatione ponderanda, & uſque ad minimos Apices, quantùm circumſtantiæ Temporum patiuntur in viridem Obſervantiam reducenda; percellent profectò, chariſs Fratres, acriori objurgationis ſono eorum aures, qui minori quàm par eſt obſervantia, Paſtoralibus

[illegible] hisce documentis obtemperaverint, Suavissimæ autem adinstar Harmoniæ, Ijs impensè placebunt, qui filiali Obsequio non sine magno fructu & utilitate tàm sibi quàm Aliis sibi commissis, Brevia lectû, Factu haud difficilia plenissime observaverint. Legite itaque, relegite & tenaci memoriæ commendate, Quæ tam *Circa Pietatem, quàm Civilem conversationem, quæque de Fine ac Methodo agendi cum Heterodoxis, Schismaticis, & retrocedentibus Catholicis*, piè & eruditè Hâc opellâ tractantur. Magna certè sunt quæ à Nobis omnibus postulant & Gradus & Dignitas Sacerdotalis; Majora tamèn exposcit Finis in quem nos qui munere Missionariorum fungimur, ex Officio tendimus, ut potè præstantior Fine Religionis; Cum itaque ad Hunc Finem, Salutem, sc. Proximorum prosequendum, tàm promissione facta Deo, quàm Sacrâ ejusdem invocatione in Testem arctissimè obligamur, Dedecet omninò Nos

vel

vel Cessamus esse in glorioso hoc stadio virtutis, vel saltèm deficientibus Animis, adeò languidè vestigia stringere, ut Eos Cursu nos Ante vertere sinamus in procurandâ proximorum salute, Quorum minor est obligatio ex Justiciá ad Currendum.

Sed Sapientibus pauca. Non itaque vos ampliùs moror; sed gravissimis hisce verbis quæ & in Aures meas & vestras (inter alia æquè præclara) intonuit Ordinator Pontifex claudo Epistolium. *Sit Doctrina vestra Spiritualis Medecina Populo Dei, sit odor vitæ vestræ Delectamentum Ecclesiæ Christi, ut prædicatione & Exemplo ædificetis Domum,* i. e. *Familiam Dei, Quatenus nec Nos de vestrâ promotione, nec vos de Tanti Officii susceptione, damnari à Domino, sed remunerari potiùs mereamur.* Quæ precatus est Pontifex, faxit Deus ut, auxiliante suâ gratiâ, quilibet nostrum & faciamus, & facientes immarcessibilem

Gloriæ Coronam (præmium debitè perfunctorum Laborum) assequamur.

Dat. Lond.

Calendis *Jan.* 1696.

Adm. R. D. & Chariſs.

Fratres in Domino,

Servus veſter addictiſs.

J. P.

MONITA

QVÆDAM VTILIA pro Sacerdotibus, Seminaristis præsertim quando primum veniunt in Angliam.

CIRCA PIETATEM.

PRIMVM attente considerent excellentiam *finis*, cuius gratia Sacerdotes Seminaristæ mittuntur in Angliam, qui non est vt commode vitam transigant, sed vt cum periculo libertatis, ac vitæ, salutem animarum, & conuersionem patriæ suæ procurent.

Considerent excelletiam finis sacerdotum Seminaristarum.

rent. Qui finis, ex parte idem eſt cum fine, ob quem Chriſtus ipſe venit, & Apoſtoli ab ipſo miſſi ſunt in mundum: Et (vt nuper Patres ſacræ Congregationis de propaganda fide concorditer declararunt) *eſt præſtantior fine Religionis. Nam inter diuina opera diuiniſſimum eſt ad ſalutem animarum cooperari.*

12. Martij 1624.

Obligationem ſuam ad eum finem.

2. Secundo loco conſiderent ſpecialem, atque arctiſſimam obligationem qua ſe plus quam omnes Regulares Sacerdotes obligarunt ad proſequendum hunc finem, nempe iuramentum, quod ex inſtitutione Apoſtolica præſtiterunt, *ſe vitam Eccleſiaſticam perducturos, ſeque omni tempore ad inſſum Superiorum in patriam reuertendum, & ad animas, quantum in Domino potuerint, adiuuandas paratos fore.* Et cum iura-

Gregorius in Bulla, quæ incipit.

iuramentum, quo quis aliquid promittit Deo, duplo fortius obliget, quam votum, quia continet & obligationem promissionis, quæ competit voto, & obligationem invocationis Dei in testem; videant attente, vt hoc suum iuramentum impleant, & vt tanto superent Regulares quoscunque in patriæ suæ conuersione procuranda, quanto eos in obligatione ad id faciendum superant.

Quoniam diuinæ. Nauar. Consil. 1. de Regular. & alibi.

Leſſius l. 2. de Iust. cap. 42. dub. 11. Sanches lib. 3. in decal. c. 9. n. 4.

3. Tertio considerent verum motiuum debite prosequendi hunc finem, esse charitatem Dei, & proximorum; nempe vt ille glorificetur, & hi saluentur ab æterna damnatione, & perducantur ad æternam fœlicitatem, ad quam creati sunt, iuxta illa Christi Domini verba ad sanctum Petrum: *Amas me? Pasce*

Verum motiuum ad dictum finem. Ioan. 21

ones meas. Ac proinde ſæpiſſime ſe excitent ad hanc charitatem, & ab ea inchoent hoc opus, atque cum eadem illud animose proſequantur, reiecta omni puſillanimitate, certo confiſi non in ſua doctrina, aut ſufficientia, ſed in adiutorio illius, qui promiſit ſe futurum cum illis, quos ad hoc opus deſtinauit, *omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Nam vt recte ait Magnus Gregorius: *Nullum Deo omnipotenti tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum.*

Hom. 12. in Ezech.

Vtantur mentali oratione.

4. Singulis diebus vtantur exercitio mentalis orationis, quo vſi ſunt in Saminarijs, & ſtudeant etiam omni die offerre Deo Sacroſanctum Sacrificium Miſſæ, cum omni deuotione, tum coram Deo, tum coram hominibus, cæremonijs exacte obſeruatis, ac tunc po-

tiſſimum

tissimum petant a Deo auxilium prosequendi dictum finem.

5. Neque perfunctorie, sed deuote, recitent *Officium* (iure dictum) *diuinum*, quod non est exigua pars muneris sacerdotalis; cum Sacerdos instituatur non solum ad offerendum Deo publicum Sacrificim, sed etiam publicas Ecclesiæ preces, ac laudes diuinas, quæ in dicto officio continentur. Deuote recitent Officium.

6. In domo, in qua degunt, curent habere locum aliquem idoneum, seu oratorium destinatum cultui diuino, illudque instructum honesta, & munda Supellectile Ecclesiastica. Et ibi non tantum Missam, sed & Vesperas saltem & Litanias quotidie recitent, ad easque domesticos inuitent. Habeant oratorium.

Frequenter catechisent.

7. Nec putent se satisfacere Officio suo, si Missam celebrent, & Catholicis petentibus Sacramenta ministrent: Sed etiam debent eosdem in Catholica fide, per frequentem Catechesin instruere, & confirmare, ac docere modum, quo cum maiori deuotione audiant Missam, cum vberiori fructu recepiant Sacramenta, deuotius ac confidentius precentur Deum, fortius resistant vitijs, facilius acquirant virtutes, accuratius examinent conscientias, &c. Quæ omnia ex Catechismo ad Parochos atque alijs pijs libris, quos sibi familiares habere debent, haurire poterunt.

Hortentur ad communes preces Ecclesiæ.

8. Hortentur etiam Laicos ad recitandum potius eas preces, quæ eis ab Ecclesia proponuntur; cuiusmodi sunt

Officium B. Virginis, Pſalmi pœnitentiales, Litaniæ, Roſarium, &c. quam quaſuis alias a priuatis hominibus compoſitas, quia illæ magis meritoriæ, magis piæ, magiſque Deo gratæ ſunt, maioremque erga Eccleſiam obedientiam, & unionem, ac conformitatem cum Catholicis toto orbe ſparſis indicant, quam iſtæ. Et ſi quos ex Laicis inueniant aptos meditationi, ſeu mentali orationi, proponant illis quandoque ruminandas decem illas Meditationes, quæ in piiſſimi Epiſcopi Geneuenſis Introductione ad vitam deuotam præſcribuntur, Ac ſciant certiſſimam viam conciliandi ſibi beneuolentiam piorum Catholicorum, eſſe adaugere in eis pietatem.

Concionentur etiam ad pancos.

9. Habeant frequeter Conciones, ſi ad id talentum a

Deo acceperunt, & loci commoditas ferat, in quo degunt: Nec dedignentur ad paucos concionari, eosque rudiores, cum videamus Apostolum scripsisse plures Epistolas ad singulares personas, & sanctum Ioannem vnam ad vnicam mulierem, imo Christum Dominum dignatum esse concionem habere ad unam mulierculam, per quam integram civitatem postea lucratus est: adeoque insistebat prædicationi, *vt nec spatium manducandi haberet.*

Marc. 3. & 6.

Hortentur ad concordiam & fugam factionum.

10. Hortentur, quantum in ipsis est, Catholicos ad pacem & concordiam inter se, & ad vitandum omnes factiones, quæ oriri possunt ob affectum erga Patres suos spirituales diuersorum Ordinum, quas in Corinthiis damnat Apostolus. Admoneant etiam

eos

eos cum eodem Apostolo, *Principibus, & Potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse*: eisque persuadeant expeditissimam viam conuertendi Protestantes, esse bonum exemplum, ac piam conuersationem, cum homines operibus magis, quam argumentis credant. 1. Cor. 1. Tit. 3.

11. Non sint nimis faciles ad dispensandum cum Catholicis in ieiunijs ab Ecclesia præscriptis, in abstinentia ab esu carnium, & similibus Ecclesiæ præceptis; tum *vt sciant* (prout loquitur Sacrum Concilium Tridentinum,) *vniuersi, Sacratissimos Canones exacte ab omnibus, & quoad eius fieri poterit, indistincte obseruandos*: tum etiam quia nimia facilitate in huiusmodi rebus, & Catholici fiunt deteriores, & Sacerdotes ipsi minoris ha- Non facile dispensent in ieiunijs. Sess. 25. cap. 18. de refor.

 bebuntur,

bebuntur, quasi qui parati sint ponere puluillum sub omni cubito: tum præterea, quia prædictum Concilium *per Sanctissimum Domini nostri, atque Saluatoris aduentum Pastores omnes obtestatur, vt omni diligentia vtantur, vt fideles ijs præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandum carnem conducunt, vt ciborum delectus & ieiunia*: tum demum quia haro est vna (eaque intima) ex hostibus nostris spiritualibus, quam proinde subiugare oportet; quamque Apostolus ipse castigabat, & in seruitutem redigebat, ne cum alijs prædicabat, ipse reprobus efficeretur. Quanto magis deberent alij eam castigare? Adde quod Angelus apud Tobiam ait, *bonam esse orationem cum ieunio, & eleemosyna.* Imo Christus ipse testatur esse quoddam

Sess. 25. cap. vlt. de delectu ciborum.

1. Cor. 9.

Tob. 12.

dam genus Dæmoniorum, *quod non ejicitur niſi per orationem, & jeiunium.* Mat. 17.

12. Vbi ſeſe commoda offert occaſio, ſiue in Concionibus, ſiue alias, commoneſaciant Catholicos de officio quod debent Epiſcopo & Paſtoribus ſuis: eoſque doceant cum ſancto Cypriano, *originem omnium hæreſum & Schiſmatum eſſe contemptum Epiſcoporum:* adeoque *ſalutem* (vt loquitur ſanctus Hieronymus) *in eorum honore ac reuerentia ſitam eſſe.* Quapropter *admoneant* (prout iubet prædictum Concilium Tridentinum) *populum crebro, obedire Præpoſitis eius, quos qui audiunt, Deum remuneratorem audient, qui vero contemnunt, Deum ipſum vltorem ſentient.* Hortentur ad obediendum Epiſcopo. Epiſt. 55. & 65. Dialog. contra Lucif. Seſſ. 25. cap. vlt. de delectu ciborum.

13. Deni-

2. Tim 2.

13. Denique *ſolicite curent ſe probabiles exhibere Deo, operarios inconfuſibiles, recte tractantes verbum veritatis.* Ante omnia autem caueant, ne dum alios conantur Deo lucrari, ſeipſos perdant. *Quid enim proderit homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* Ac proinde non tanquam Canales, ſed velut Conchæ effundant alijs aquam, qua ipſi iam pleni ſunt, maioremque ſalutis propriæ, quam alienæ, curam gerant.

Magis curent ſuas quam alienas animas.

Matt. 16.

Circa ciuilem conuerſationem.

Adeant Vicarium.

14. QVamprimum Angliam ingreſſi, accefferint ad Vicarum Generalem, præſtent conſuetum Iuramentum Canonicæ obedientiæ.

dientiæ. Et ſi Vicarius eis aſſignet reſidentiam, ſeu locum in quo labores ſuos impendant, non eum recuſent, niſi data iuſta cauſa: Saltem accipiant literas commendatitias ab eo ad Archidiaconum Prouinciæ, in qua putant ſe moraturos. Et ſi ſtatim reſidentiam non nanciſcantur, id patienter ferant, memores ſe illius diſcipulos eſſe, qui dixit: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet.* Luc. 9.

15. Quando nacti ſunt reſidentiam commodam, certiorem de eo faciant Archidiaconum Prouinciæ, eumque ſi commode poſſunt, adeant, ac ei ſuum officium & obſequium offerant. Nec putent eam reſidentiam eſſe ſibi inſtar Tabernaculi, vbi bonum ſit

Non ſint nimis affixi reſidentiæ.

sit eis perpetuo esse, ita vt ob periculum eam amittendi, nolint inde exire, ob bonum aliorum: Sed certo confisi in illius promissione, qui dixit: *Non consummabitis ciuitates Israel, donec veniat Filius hominis*, sperent Deum, ob cuius gloriam illam residentiam amittunt, aliam ipsis procuraturum. Et vbicumque fuerint, specialem curam gerant pauperum, quibus euangelizandis Christus Dominus se missum dixit, eoque signo probauit se esse verum Messiam. Nunquam vero sponte deserant suam residentiam inconsulto Archidiacono, aut Vicario Prouinciæ: & si eam amittant, quamprimum alterutrum eorum certum faciant.

Mat. 10.

Mat. 11. Luc. 4.

Caute conuersentur.

16. In intrando, exeundo, aut versando in sua residentia,

tia, aut hoſpites ad eam adducendo, magnam cautelam adhibeant, ne vel Dominum domus offendant, vel eum in periculum vocent: Sed in omnibus actionibus ſuis, oſtendant ſe ſolicitos eſſe de ſalute familiæ in qua degunt. Si iurgium aliquod incidat inter aliquos in domo, neutri parti adhæreant, niſi forte vbi apparet notoria æquitas, ſed gerant ſe prout decet communes Patres vtriuſque partis, eoſque omni modo reconciliare conentur.

Non gerant curam temporalium.

17. Non ſe immiſceant rebus temporalibus domus, in qua degunt, niſi vbi vident conſilium ſuum & gratum, & neceſſarium eſſe, neque id etiam amplius, quam muneris Sacerdotalis ratio permittit, ne contra Apoſtoli monitum, *militans Deo implicet ſe negotijs ſæcularibus.* 18

2. Tim. 2.

Capiant cibum seorsim.

18. Si Dominus domus id permittat, cibum capiant seorsim a Lacis. Sin autem sumendus sit cibus cum alijs, caueant a nimia loquela, vanisque discursibus in mensa, & post sumptum cibum, non terant multum tempus cum illis, sed cum opportunum fuerit, recipiant se ad sua cubicula, nisi se offerat occasio vtili aliquo sermone bonum ipsorum spirituale promouendi.

Non sint curiosi in victu.

19. In victu, contenti sint eis, quæ apponuntur, nec speciale aliquid postulent, nisi valetudo id exegat: nec præbeant vel minimam suspicionem, quod vino dediti sint: neque vtantur Tobacco, nisi forte per modum medicinæ, idque etiam clam alijs, quantum fieri potest.

Nec in vestitu.

20. In vestitu, nihil gerant quod vel vanitatem, vel sumptum

ptum nimium ſapiat: & abſti-
neant a cachinnis, & omni
geſtu corporis, qui diſſolutio-
nem redoleat, certiſſime ſcie-
ſes, *quod* (vt ait Eccleſiaſticus) Cap. 19.
*amictus corporis, & riſus den-
tium, & ingreſſus hominis
nuntiat de eo.*

Non ſint nimis familiares cum mulieribus.

21. Deuitent quam maxime omnem ſecretam aut nimiam conuerſationem cum mulieribus quibuſcunque, quia vtrumque & periculo & ſcandalo obnoxium eſt.

Incumbant ſtudio.

22. Fugiant otium, veluti certiſſimam radicem malarum tentationum, ac propterea ad minimum habeant apud ſe Scripturam ſacram, quam perpetuo meditentur, ex eaque & pietatem & eruditionem hauriant, & locos communes vſui ſuo accommodos conficiant: quod & faciendum eſt, ex alijs libris, ſi præ-

ſto

sto sint, aut eos facile comparare possint; quia parum iuuabit lectio, nisi per eiusmodi locos memoria adiuuetur.

Non altercentur.

23. Non altercentur cum quibuslibis Sacerdotibus, præsertim antiquioribus se, quibus omnem reuerentiam, ac honorem debitum exhibeant; ac suo exemplo doceant Laicos, quomodo se gerere debeant erga Sacerdotes.

No opponant se dictis aliorum.

24. Caueant a consuetudine obiiciendi, seu opponendi se dictis aliorum, qua in Scholis exercitij gratia vsi sunt, quia in familiari conuictu inter homines valde odiosa est: & præterea Apostolus ait, quod *verbis contendere ad nihil vtile est, nisi ad subuersionem audientium.*

2. Tim. 2.

Non facile credant malum.

25. De consacerdotibus ac fratribus suis, nec facile aliquid inhonestum credant, nec

omnino palam referant, vel palam referentibus aurem præbeant: sed Catholicos doceant, exemplo Magni Constantini, quantum auertere debeant aures ab huiusmodi sermonibus. De eis tamen rebus vel ipsum Sacerdotem vel Superiorem illius quamprimum commonefaciant.

Cum Regularibus habeant concordiam.

26. Cum Regularibus, aliisque operariis in hac Domini vinea, pacem quam arctissime colant, eosque intima charitate, omnique officiorum genere in Domino complectantur. Caueant autem ne quas cum iisdem regularibus rixas habeant, vel circa ipsorum priuilegia, vel iura Cleri: sed si quid ab illis dictum, factumve fuerit, quod minus deceat, vel expediat, eos cum sacerdotali grauitate, ac modestia, de excessu, idque seorsim,

sim, si commode fieri potest, admoneant, ac deinde Superiorem suum de omnibus opportune, modesteque certiorem reddant. *Servos* enim *Domini non oportet litigare, sed mansuetos esse ad omnes, docibiles, patientes cum modestia corripientes eos, qui resistunt veritati.* 2. Tim 2.

Caute decidant casus conscientiæ. Lib. 1. Topic. c. 1. Silvester V. Probabile. Angelus & Silvester V. opinio. Nauar. Consil. 1. de condit.

27. In decidendis difficilibus casibus conscientiæ, præsertim si concernant ius tertij, ne sint præcipites, sed consulant dóctiores. Et caueant ne (in rebus præsertim foriexterni) in praxim deducant quicquid legerint ab aliquo Authore probari; Tum quia (vt docet Philosophus & post eum Theologi.) *Probabile illud est, quod videtur aut omnibus, aut plerisque, aut sapientibus, & ijs aut omnibus, aut plerisque, aut maxime proba-*

tis

tã, ideoque authoritas vnius, ut paucorum, nisi sint probatissimi, non facit aliquid probabile: Tum etiam, quia vt Theologi monent, *a communi opinione non est discedendum, sine textu, aut ratione efficaci, sed in dubio præsumendum est pro multitudine*; sed semper & ipsi sequantur, & alijs sequendum consulant, id quod est *longe probabilius*, prout plerumque illud est, quod est communius. Quando autem aliqui graues Authores dicunt licere sequi opinionem probabilem, sciant eos intelligendos esse, quando opinio illa saltem est ita probabilis, prout descripsimus ex Philosopho, deinde etiam quando nescitur, quod contraria opinio est *longe probabilior*: Sicut quando dicunt quod licet sequi opinionem

Apos. & alij.

Sequanturquod est loge probabilius.

nem minus probabilem, intelligendi sunt, quando opposita non est *notabiliter probabilior*, prout eos exponit Siluester V. Dubium: & post eum Henriques lib. 3. de Pœnitentia, c. 17. n. 5. cum alijs. Sequi autem opinionem cognitam *esse notabiliter minus probabilem* in rebus animæ, & æternæ salutis, non potest non esse temerarium, cum omnes id ita iudicant in rebus corporis, libertatis, aut bonorum temporalium. Deinde quia sequi opinionem *qualitercunque probabilem* arguit nimiam libertatem seu licentiam, & parit magnam incertitudinem, ac confusionem in conuictu humano. Præterea, cum pleraque actiones humanæ non fidei, sed rationi humanæ tanquam regulæ suæ subsint, nisi illæ regulari de-

berent

berent ratione *longe probabiliore*, omnino incertum esset, quid in plerisque rebus homines facere deberent: ac Deus, dando nobis rationem pro regula nostrarum actionum, dedisset nobis regulam Lesbiam, qua modo vnum, modo oppositum pro libito facere possemus; & dando nobis scientiam Theologiæ, per quam diuersitatem opinionum cognoscimus, feciisset conscientiam nostram laxiorem. Demum, quia ratio ipsa dictare videtur, illud semper faciendum esse, quod est longe rationabilius; & alienum esse a ratione, sequi illud, quod longe alienius est a ratione, ac regula suarum actionum.

28. Si notabile quid accidit in Prouincia vbi degunt, quod expedit Superiores suos scire, de eo certiores ipsos faciant; Scribant quæ sunt digna notatu.

ciant; ac præterea in scripti
redigant, quicquid vel mod
fit, vel prius factum esse cog
fiterit, circa hæc puncta. Pri
mo, de Martyrio cuiusquam
2. De graui, aut diuturna per
secutione ab aliquo tolera
ta. 3. De Miraculis. 4. De vin
dicta Dei in hæreticos, præ
sertim persequutores, Schis
maticos, & Apostatas. 5. De
insigni fructu, aut exemplo ali
cuius Sacerdotis, aut etiam
Catholici cuiusquam.

Accurate seruent Canones.

29. De aleis, tabernis, ven
tionibus, comœdijs, & alij
huiusmodi, quæ per Sacros
Canones prohibentur Sacer
dotibus, superfluum esset eos
admonere: sed maiori honor
sibi ducant Sacros Canones
Ecclesiæ exacte (quoad pote
runt) obseruare, quam Regu
lares quicunque suas regulas,
quandoquidem & a maiori

au-

auctoritate, & ob longe missus bonam conditi sunt: præsertim cum in professione fidei, quam in Seminarijs emiserunt, professi fuerint, *se omnia & Sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, ac declarata indubitanter recipere.* Tandem concludo illis verbis Apostoli Coloss. 4. *Videant ministerium, quod acceperunt in Domino, vt illud impleant*: acceperunt autem Sacerdotes Seminaristæ, idque sub arctissimo vinculo iuramenti (vt supra dictum est) *ministerium adiuuandi animas in Anglia, quantum in Domino potuerint*, quod debet esse illis perpetuus stimulus ad illud diligenter adimplendum; præsertim cum, vt pulchre ait S. Augustinus Epist. 148. & citatur

Iuramentum Pij IV.

dist. 40. cap. Ante omnia, ni
hil est in hac vita, & maxim
hoc tempore difficilius, labor
sum, periculosius Episcopi, a
Presbyteri, aut Diaconi officio
sed apud Deum nihil beatius,
eo modo militetur, quo nost
Imperator iubet: adeoque
Tit. 2. omnibus seipsos prebeant ex
emplum bonorum operum, i
doctrina, in integritate,
gravitate, verbum sanum, i
reprehensibile: ut qui ex ad
verso sunt, vereantur, nihil ha
bentes mali dicere de illis. Ac
1. Tim. 4. que hac facientes & seipsos sal
vos facient, & eos qui ips
audiunt.

FINIS

DE FINE, AC METHODO AGENDI Seminariſtæ Sacerdotis, cum Hæreticis, Schiſmaticis, ac Catholicis in Anglia.

CAPVT PRIMVM.

Quis debet eſſe finis, ſeu intentio agendi Seminariſtæ Sacerdotis cum hominibus in Anglia.

SEMPER meminiſſe debet Sacerdos Anglus glorioſi ſui cognominis, *Seminariſtæ Sacerdotis*,

per quod semper versabitur illi ante oculos, *magnum illud finem intramentum*, quo se obligauit proficiſci in Angliam, ad lucrandas animas Deo. Ac proinde in omnibus ſuis actionibus, *finis* eius eſſe debet, lucrum animarum, ac *medium*, illud, per quod potiſſimum aſſequi poſſet illum finem.

Quis eſt finis Seminariſtæ Sacerdotis.

2. Valde autem notare oportet, quod aliud eſt conuincere hominem de errore, quem tenet, aut de vitio, quod ſequitur; aliud eum conuertere ab errore illo, aut vitio: Primum eſt ſcientiæ, & poteſt eſſe opus hominis: ſecundum vero, eſt opus Dei: Nam Fides, ſeu Gratia eſt donum Dei, & ille ſolus eſt, qui incrementum dat, vtcunque nos plantemus, aut rigemus. Cum igitur finis *Seminariſtæ Sacerdotis*

Aliud eſt conuincere, aliud hæreticum conuertere.

doris sit lucrum animarum, potius conari debet conuertere hæreticos, aut peccatores, quam eos couincere, aut confundere: ad conuersionem autem eorum plus iuuat humilis, ac feruens oratio ad Deum, ac pia conuersatio apud homines, quam aut studium, aut doctrina. Ac propterea magis confidere debet in precibus suis, quam in disputationibus: & in Dei adiutorio, quam in suis argumentis: Vnde bene monet S. Augustinus: *Non simus in disputationibus prompti, & in orationibus pigri: oremus, vt Deus gratiæ det inimicis nostris intelligere.*

Quid potissimum iuuat ad conuersionem hæreticorum.

Lib. de perseuerat. c. 24.

CAPVT II.

Quot ſunt genera hominum, quibuſ-cum Seminariſta Sacerdoti agendum eſt in Anglia.

1. QVinque ſunt genera hominum, quibuſcum *Seminariſta Sacerdoti* in Anglia agendum eſt: Nam alij ſunt pertinaces hæretici, quorum non ſolum intellectus ſed etiam voluntas corrupta eſt: Alij ſunt (vt loquitur S. Auguſtinus) *Credentes hæreticis*, quorum ſolus intellectus corruptus eſt, voluntas autem bene diſpoſita, & cupida veræ viæ ſalutis: Alij ſunt ſchiſmatici, qui credunt omnia, quæ credunt Catholici, ſed

Hæretici.

Credentes hæreticis.

Schiſmatici.

sed abtimorem legum pœnalium, non modo non communicant cum Catholicis in sacramentis, & publico cultu Dei (vt Luciferiani, & alij eiusmodi veteres schismatici) sed etiam adeunt templa hæreticorum, intersunt eorum sacris, adeoque facto saltem, profitentur hæresim. Alij sunt mali Catholici, qui abstinent a templis & sacris hæreticorum, ac palam profitentur se Catholicos, sed factis id negant, dum non viuunt, vt decet Catholicos, & vt fides Catholica docet esse omnino dum. Atque hi sunt duplicis generis: nam alij ex infirmitate, raro, & (quoad possunt) secreto peccant; alij palam, & ex consuetudine, ac cum proposito non abstinendi a vitio. Demum alij sunt boni & pij Catholici, qui & credunt

Mali Catholici.

Boni Catholici.

dunt & viuant, vt Catholicos decet; & cum singulis horum diuerso modo agendum

CAPVT III.

Quo modo agendum est cum pertinacibus hæreticis.

Non disputandum cum hæretico pertinaci propter ipsummet.

QVoad pertinaces hæreticos, agendum est duntaxat oratione ad Deum pro ipsis, vel correptione cum ipsis, modesta tamen. *Ne quando* (vt ait Apostolus) *det Deus illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant a diaboli laqueis, a quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem*; 2. Tim. 2. non est autem cum ipsis agendum disputatione propter ipsosmet, quia ita nos docet Apo-

Apoſtolus Titi 3. *Hæreticum hominem, poſt vnam, aut alteram admonitionem, deuita: ſciens, quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus.* Vnde Tertullianus lib. de præſcrip. c. 16. *Fides noſtra obſequium Apoſtolo debeat, prohibenti quæſtiones inire, nouis uocibus aures accommodare, hæreticum poſt vnam correptionem conuenire, non poſt diſputationem: Adeo interdixit diſputationem, correptionem deſignans cauſam hæritici conueniendi.* Et S. Auguſtinus lib. de vtilitate credendi, c. 1. *Si mihi vnum, atque idem videretur eſſe hæreticus, & hæreticis credens homo, tam lingua, quam ſtilo in hac cauſa conquieſcendum mihi eſſe arbitraretur.* Et ratio huius multiplex eſt; Primo, quia pertinax hæ-

Quare non disputandum cum hæretico.

reticus non quærit veritatem, cum sit (vt ait Apostolus) *proprio iudicio condemnatus* & (vt ait S. Augustinus *l.* 13. contra Faustum c. 12.) *Non disputare amant hæretici, sed quoquo modo superare, impudentißima peruicacia* : Quorsum autem disputemus de veritate, cum homine propter ipsummet, qui non cupit eam videre ?

2. Pertinax hæreticus nullum admittit iudicem. Whitak controu. 1. q. 5. c. 4. Chillingworth. c. 2. Io 57. 84.

Secundo, quia pertinax Protestans non admittit vllum iudicem hominem, cuius iudicio stare vult : Vbi autem nullus est iudex disceptationis, nullus est finis disceptandi. Quod autem nullum iudicem loquentem, cuius iudicio stare vult, admittat, manifestum est cum & Ecclesiam, & Concilia generalia, & Patres vniuersos, in rebus fidei fallibiles esse asserat.

3.

3. Tertio, quia nullum admittit infallibilem interpretem ſcripturæ: Et tamen fatetur reipsa, & verbis etiam, ſcripturas, in nonnullis rebus fidei, egere interprete: Nam ſi non egerent, vnde tot controuerſiæ interminabiles de rebus fidei inter pios (ſcilicet) Proteſtantes? Quorſum autem diſputemus cum illo ex ſcripturis, cum tota vis diſputationis pendeat ex vero ſenſu ſcripturæ, quem admittit non eſſe planum, & tamen nullum admittit certum illius interpretem. Sic enim tota diſputatio pendebit ex incerto ſenſu; Et quia Lutherani, Caluiniſtæ, Puritani, Anabaptiſtæ, & ſimiles moderni hæretici, nullum admittunt, certum ſuarum controuerſiarum iudicem, aut etiam interpretem certum verborum ſcrip-

3. Neque vllum interpretem infallibilem. Parens in Colleg. Theol. 2. diſp. 1. Whitak. controu. 1. q. 4. c. 1. & 3. Fulco Act. 8. Nota. 3. Dauenantius de iudice, c. 13.

ſcripturæ, lites inter ipſo
ſunt interminabiles.

4. Neque conuenit cum Catholico in vllo principio Theologico.

4. Quarto, quia pertinax Proteſtans non conuenit cum Catholico, de vllo certo principio, diſputationis Theologicæ, in quæſtionibus iuris, ſeu doctrinæ. Nam cum principia Theologicæ diſputationis in eiuſmodi quæſtionibus apud Catholicos, ſint Eccleſia, Patres, Concilia, S. Scriptura: aperte excludunt Eccleſiam, Patres, & Concilia a priincpijs certis diſputandi, cum ea omnia dicant eſſe incerta, & fallibilia: Scripturam autem ex parte reijciunt quoad ipſos libros, vt patet de ijs, quos dicunt Apocryphos, neque vllam admittunt, niſi in ſenſu, quo ab ipſis intelligitur. Scripturam autem, prout ab ipſis intelligitur, non poſſunt ſtatuere principium

diſ-

disputationis, nisi velint petere principium, & seipsos statuere iudices controuersiæ, & infallibiles interpretes Scripturæ. Nullo autem admisso principio Theologicæ disputationis, frustra suscipitur disputatio, cum omnes disputatores debeant necessario in aliquo principio conuenire, & (vt dici solet) cum negantibus principia non est disputandum.

Contra negantem principia, non est disputandum.

5. Quinto, quia pertinax Protestans, etsi, quando ipsi incumbit probatio, sufficere velit ad Demonstrationem Theologicam, Consequentiam deductam, partim ex scriptura, partim ex ratione, & ratiocinatione humana: tamen cum nobis probandum est aliquid, exigunt verba expressa scripturæ, & eiusmodi probationes, quæ conuincant in-

5. Exigunt clariores probationes quam, Theologia potest præstare. Iacob. rex resp. ad Episc. Peron. Morton l. 1. Apolog. c. 41.

Fulco in ſubuerſ. Reſp. ad Charcum. Whitak. cont. 1. q. 619. Vide Vorſtium cont. Sladum.

intellectum, & obſtruant
Lutherus l. de ſeruo arbit
fol. 440. vult eiuſmodi arg
menta, *quæ* (inquit) *omnib*
os obſtruant, ne poſſint contra
dicere: Et Whitakerus l. 2. d
ſcriptura, c 6. p. 282. *Nos eiu*
modi teſtimonium, requirimus
*quod conſcientiam, iudicium*q
conuincat: Ita enim animat
ſunt, prout ſe fuiſſe teſtatu

Confeſ. c. 4.

S. Auguſtinus, quando hære
ticus fuit, *vt de omnibus ve*
lint ita certifieri, vt certi ſunt
quod ſeptem, & tria ſunt de
cem: Hoc autem eſt exiger
Demonſtrationes Mathema
ticas in re Theologica, quod
eſt exigere plus quam fides
aut Theologia præſtare po
teſt: Fruſtra autem diſpu
tatur in Theologia cum ho
mine, qui plus exigit, quam
præſtari poteſt a Theologo.

6. Sexto,

6. Sexto, quia pertinaces Proteſtantes nolunt diſputari contra ſe, niſi ex ſcriptura, & tamen fatentur, quod duæ præcipuæ quæſtiones Theologicæ non poſſunt decidi per ſcripturam, nempe quæſtio de ſchiſmate, & quæſtio de diuinitate ſcripturæ: & quoad quæſtionem de ſchiſmate, ratio conuincens eſt, quia pendet a re facti, de qua ſcriptura omnino non loquitur: ſimiliter nec diuinitas ſcripturæ poteſt ſufficienter per ſeipſam probari. Quia nulla pars ſcripturæ aſſerit reliquam eſſe verbum Dei, & ſi id diceret, ea opus haberet alia ſcriptura, quæ aſſereret eam eſſe verbum Dei, & ſic in infinitum. Quod ſi nullum ſit verbum Dei, quod dicit ſcripturam eſſe verbum Dei, non poſſumus id credere fide diuina, quia

Volunt diſputari ex ſola ſcriptura, tamen fatentur eam non ſufficere omnibus controuerſijs. Pleſſeus de Eccl. c. 3. p. 54. Hokerus l. 2. §. 4. Couell. art. 4. p. 45. Laudus p. 70.

Proteſtantes credunt fide diuina, quod aiunt Deum nunquam dixiſſe.

Non eſt fides diuina, niſi de eo, quod Deus dicit.

quia vbi non eſt verbum Dei, non eſt fides diuina: Cum Proteſtantes igitur non agnoſcant vllum verbum Dei non ſcriptum, quod aſſerit, & certos nos facit, quod ſcriptura eſt verbum Dei, omnis diſputatio ex ſcripturis (iuxta illos) pendebit ex incertis: Quorſum autem diſputabimus de rebus infallibilibus fidei, cum hominibus, qui aut non poſſunt infallibiliter probare ſuum ſummum principium, ſeu fundamentum totius fidei ſuæ, aut profitentur, quod de illo non ſunt infallibiliter certi, cum omnis probatio debeat eſſe ex certioribus, nec poſſimus nos certiores eſſe de aliquo, quam ſumus de illo, per quod de illo certi ſumus. Proferant ergo verbum Dei, quod expreſſe dicit, ſcripturam eſſe verbum Dei, aut fateantur

tentur se non habere fidem divinam, quod scriptura sit verbum Dei, aut dicant posse esse fidem divinam, vbi nullum est verbum Dei.

7. Propter tot igitur, tantasque authoritates scripturæ, ac Patrum, ac rationes euidenter constat, non esse disputandum cum pertinaci Protestante propter ipsummet: quo modo autem disputandum sit cum illo propter alios, dicemus in capite sequenti.

CAPVT IV.

Quomodo disputandum sit cum pertinaci Protestante propter alios.

Quis ordo disputandi

ET si (vt in præcedenti capite ostensum est) non

cum pertinaci protestante.

non sit disputandum cum pertinaci Protestante propter ipsummet, tamen accidere potest, vt oporteat cum eo disputationem inire propter alios nempe aut ad conuertendum eos, qui ipsam sequuntur, aut ad confirmandum infirmos Catholicos, ac tuendam fidem Catholicam.

Protestantis est primo probare. L. 2. cont. Cresco. c. 33. l. 3. c. 43. 44. l. 2. cont. Gaudent. c. 3. lib. de vnico Baptis. c. 15. ep. 48.

2. Primo igitur curandum est, vt hæreticus suscipiat partes probantis: tum quia Protestantes exierunt a Catholicis, non autem Catholici ab ipsis: quare ante omnia opus est, vt probent se habuisse iustam causam exeundi: Nam (vt sæpissime S. Augustinus obijcit Donatistis) *Filius malus iustum se dicit, exitum autem suum non abluit.* Prouerb. 30. Et lib. 2. contra Petilianum, c. 19. *Prodendum vobis est, & reddenda ratio separationis vestræ:*

ſtra: Proteſtantes autem diſceſſiſſe a Romana Eccleſia fatentur ipſimet, vt videre eſt lib. 2. de Authore Proteſtantice Eccleſiæ, c. 11. tum etiam, quia Proteſtantes primi cœperunt accuſare, ac damnare Eccleſiam Catholicam, eiuſque doctrinam. Sicut autem eſt accuſatoris probare, ita primi accuſatoris, primo probare: Catholici autem, quando primo accuſabantur, erant in quieta poſſeſſione, quoad veritatem, quam prædicabant, iuxta ſententiam totius orbis Chriſtiani: Quietus autem poſſeſſor, etiam præſumptus, non tenetur probare ſuam poſſeſſionem eſſe iuſtam, multo autem minus is, qui per multa ſæcula ex iudicio orbis Chriſtiani erat legitimus poſſeſſor.

3. Secundo, cum sint duo genera quæstionum controversarum inter Catholicos & Protestantes, nempe facti, & iuris, seu doctrinæ, cuique dum est, vt Protestans primo incipiat probare quæstiones facti: Vt quis miserit Lutherum, ac primos Ministros ad prædicandum Protestantissimum, ac damnandum fidem ac Ecclesiam Catholicam? Certe non Catholici; qui igitur alij? Quis eos ordinauerit ad ministrandum Sacramenta, & Liturgiam Protestanticam? Quibus ministris Protestandeleis Lutherus, & sui immediate successerint? Aut fateatur, quod nemo eos miserit ad prædicandum protestantissimum, nemo eos ordinauerit Protestanticos Ministros, neque ipsi vlli præsenti Ministro Protestantico

im-

Et primo probare quæstiones facti.

Tertull præscrip. c. 19. *Euolauit ordinem Episcoporum suorum.*

Whitak. conc. 2. q. 12. De hoc litigan-

immediate ſucceſſerint. Ratio autem quare Proteſtans debeat incipere a quæſtionibus facti, potius quam iuris, multiplex eſt, tum quia quæſtiones facti ſunt & in ſeipſis, & omni hominum generi faciliores cognitu; tum quia in illis, Proteſtantes non poſſunt recurrere ad ſcripturam, quia illa non dicit, quis miſerit, aut ordinauerit Lutherum Miniſtrum Proteſtanticum, neque cui Miniſtro Proteſtantico immediate ſucceſſerit; ſed hæ quæſtiones decidendæ ſunt teſtimoniis hominum fide dignorum, aut ſcriptorum authenticorum: tum præterea, quia ſi Proteſtans non poteſt ſufficienter probare, quod Lutherus & ſui ſocij fuerint legitime miſſi, aut ordinati, & alicui alteri legitime miſſo, ac ordinato, immediate ſucceſſerint,

dum eſt, qui miniſtri ſunt legitimi, qui non. Quare diſputatio incipienda a quæſtionibus facti.

1.

2.

3.

ſerint, non eſt admittend
ad diſputationem de quæ
ſtionibus iuris, ſed excluden
dus tanquam manifeſtus vſur
pator, ac inuaſor iuris Eccle
ſiaſtici, nec audiendus vt Pa
ſtor, ſed fugiendus vt lupus.

4. Tertio, ſi ob gratiam
Auditorum, permittendum
eſt pertinaci Proteſtanti, v
diſputet dequæſtionibus iuris
primum monendi ſunt illi
quod deficiat in queſtionibu
facti, & facillimis cognitu, &
maximi momenti, ex quibu
nimirum conſtet, quod (qua
liſcunque ſit Proteſtantiu
doctrina) eius primi prædi
catores, ac Miniſtri non eran
legitimi Paſtores, ſed vſurpa
tores: vnde facile conſtabit
nec eam eſſe veram doctri
nam Chriſti, cum careat le
gitimis Paſtoribus, a quibu
prædicetur. Deinde peten

dum

dum eſt a Proteſtante, vt, cum ſentiat res omnes fidei non poſſe infallibiliter probari, niſi ex ſcriptura, & eam eſſe perfectam regulam omnium, quæ credenda ſunt, oſtendat a quibus acceperit ſcripturam, & quo iuſto modo eam ab eis acceperit, ne pateat eum eſſe furem ſcripturæ, neque vllum ius habere ad ea vtendum, maxime contra eos, a quibus iniuſte illam abſtulit: Tertullianus præſcriptionum, c. 19. *Diſputandum eſt, quibus competat fides ipſa; cuius ſunt ſcripturæ:* Et c. 37. *ad nos merito dicendum eſt; quid in meo agitis non mei?* Fatentur autem Proteſtantes, quod acceperint ſcripturam a Catholicis; at quo legitimo modo eam acceperint, dicere non poſſunt. Nam non poſſunt oſtendere, quod Catholici

Calu ad art 20. Pariſien. *Conſtituimus rectam fidem in ſcripturis ſolis fundatam eſſe.* Laud. in Relat. ſect 16. p. 113. *Scriptura ſola ſufficit ad ducendum nos in viam ſalutis.* Oportet ſe probare eſſe legitimum poſſeſſorem ſcripturæ, antequam probet ex ſcriptura.

C

lici eam ipſis dederint, a
vendiderint, aut permutarin
aut pro derelicto habuerint
De qua re multa dicta ſunt i
primo capite Collationis d
ctrinæ Catholicorum & Pr
teſtantium, Anglice verſæ.

5. Quarto, ſi adhuc, ob gr
tiam Auditorum, permitte
dum ſit pertinaci Proteſtan
vt (quamuis nec ſeruet r
ctum ordinem quæſtionu
nec probare poſſit, ſe vel e
legitimum miniſtrum, vel
gitimum poſſeſſorem ſcrip
ræ) arguat ex ſcriptura, n
nendi tamen ſunt Auditor
vt attente videant, quod p
bet ex ſola ſcriptura, & n
miſceat rationem ſuam c
ſcriptura, atque ita argu
non ex ſola ſcriptura, ſed p
tim ex ſcriptura, partim
ſua ratione & ratiocinatio
Nam ſcriptura, nec erit

Et ex ſola ſcriptura.

Tertul. de Reſur. c. 3. Auſer ab

ſa, nec perfecta regula fidei (prout volunt Proteſtantes) ſi opus habeat ratione, ac ratiocinatione humana, quia nec ſola eſt, cui aliud additur; nec perfecta regula eſt, quæ alio indiget ad regulandum, vt per ſe patet, & fatetur expreſse Chillingworthus c. 1. p. 54. Deinde, cum ipſi negent Eccleſiam, Concilia, Patres, eſſe vel partialem infallibilem regulam fidei, abſurdiſſimum, & iniquiſſimum eſt a nobis exigere, vt admittamus eorum rationem pro partiali infallibili regula fidei: ita autem faciunt in omnibus probationibus, in quibus aliquid inferunt ex ſcriptura per conſequentiam: vt cum probant Euchariſtiam non eſſe corpus Chriſti, quia eſt commemoratio ipſius: Nam ita arguunt: *Quod eſt commemoratio, non*

hæreticis, quæcum Ethnicis ſapiunt, vt de ſcripturis ſolis ſuas quæſtiones ſiſtant, & ſtare non poſſunt.

poteſt eſſe ipſa res commemora-
ta: Euchariſtia eſt commemora-
tio Chriſti, ergo non Chriſtus
ipſe: Vbi minor eſt ſcriptura
ſed maior (cui potiſſimum
iuxta Philoſophum, innititur
concluſio) eſt ratio ipſorum
ſeu principium hominum,
fallax & falſum, vt patet
manna ſeruato in memoria
Quare nunquam permitten
ſunt arguere ex ſcriptura
Enthymemate : vt *Euchariſti*
eſt commemoratio Chriſti, e
non Chriſtus ipſe ; quia ibi n
ita apparet, quod arguant
ratione, ſeu principio hum
no, quod in Enthymem
tacetur : ſed in ſyllogiſmo,
aperte patebit, quod alt
Præmiſſarum, & frequenti
me maior (ex qua potiſſim
pendet Concluſio) ſit ra
humana, eaque non certa
vera, ſed ad ſummum ap

Non in Enthymemate.

rens. Vnde apparebit eos esse veros deceptores, & pro solo Verbo Dei, quod venditant pro vnico fundamento, & regula fidei, substituere partim suam rationem fallacem, ac falsam: Si quidem arguerent ex vna ratione, seu principio humano, quod esset euidens, certum, & indubitatum apud omnes, & alio principio scripturæ, licet non possent tunc dicere solam scripturam esse fundamentum suæ fidei, tamen arguerent rationabiliter, & Theologice; vt fit in hoc syllogismo: *Omnis homo est risibilis; Christus est homo, ergo est risibilis:* vbi minor est scripturæ, & maior rationis; sed quia est euidens, certa, & indubitata apud omnes, talis etiam est conclusio, quæ partim ex ea deducitur. Cæterum, si Protestantes arguant

Ex cuiusmodi principio humano licet arguere.

Ex cuiuſmodi arguunt Proteſtantes.

contra Catholicos ex vna præmiſſa, quæ ſit ſcripturæ, & addunt aliam rationis, quæ non eſt euidens, certa, aut indubitata, ſed falſa, & ad ſummum apparens, & aliquando nec apparens, plane ſophiſtas agunt vt patet in his principiis eorum: *Quod eſt commemoratiuum non poteſt eſſe ipſa res, quæ commemoratur: Qui eſt in cælo non poteſt, per potentiam Dei eſſe ſimul in terra. Qui figuratiue dicit ſe eſſe vitem, figuratiue dicit Euchariſtiam eſſe ſuum corpus: Propoſitio ſacramentalis* (ſcilicet ea, qua inſtituitur, aut conficitur Sacramentum) *eſt ſacramentaliter* (id eſt figuratiue) *intelligenda.*

Quinſmodi directa teſtimo.

6. Quinto, ſi dicat ſe velle arguere ex ſcriptura, non per conſequentiam, ſed per directa teſtimonia (quod vix vnquam in vlla materia poteſt

teſt facere contra Catholicos) videndum eſt, vt proferat clara, & perſpicua loca, quæ non egeant interprete, ſed aut totidem verbis dicant id, quod illi docent, aut quæ euidenter, & omnium iudicio ſunt æquipollentia; tum quia, ſi teſtimonia de rebus fidei non ſunt ita euidentia, vt non egeant interprete, non erit illa perfecta regula, quia non eſt perfecta regula, quæ per ſeipſam non ſufficit ad dirigendum, ſeu regulandum, vt per ſe patet, & fatetur Chillingworth c. 1. p. 54. Nam illud ſolum perfectum eſt, cui nihil deeſt, & perfecta regula, cui nihil deeſt ad regulandum: tum quia ipſi Proteſtantes exigunt huiuſmodi teſtimonia a nobis; tum præterea, quia S. Auguſtinus lib. de vnitate c. 5. & 19. exegit clara teſtimonia

nia ſcripturæ debeant proferre.

Protaſtantes exigunt terminos expreſſos, aut æquipollentes.

 ſtimonia

ſtimonia ſcripturæ a Donatiſtis: *Hæc prædico, atque propono, vt quæque aperta, ac manifeſta deligamus. Eruite aliquid manifeſtum; aliquid proferte, quod non egeat interprete:* tum demum, quia ſi verba ſcripturæ non ſunt omnium iudicio clara, aut æquipollentia, ſed, vt talia videantur, opus habeant expoſitione Proteſtantium, perinde erit, ac ſi arguerent ex ipſorummet expoſitione. Et cum nec Eccleſiam, nec Patres, nec Concilia, velint eſſe infallibiles interpretes ſcripturæ, ſeipſos tales conſtituunt: aut fateri debent ſuam expoſitionem eſſe fallibilem, & ſe ex fallibili expoſitione verborum ſcripturæ contra nos arguere; quod eſt nihil certi concludere. Quare ſic arguo: aut verba ſcripturæ, quæ proferunt, ſunt clara,

ſeu

ſeu æquipollentia in ſenſu, quo ea Proteſtantes intelligunt, ex omnium hominum iudico, & tunc nemo non pertinax, aut moderatus eum ſenſum negabit; aut ſunt clara, ſeu æquipollentia tantum ex iudicio Proteſtantium, & tunc tantum poſſunt illis eſſe regula, non alijs, quia ijs ſolis poſſunt eſſe regula, quibus ſunt clare, ſeu æquipollentia: Non ergo arguant ex illis contra Catholicos, quibus non ſunt clara, aut æquipollentia, & qui iure expoſitionem Proteſtantium reijcient; ſed proferant aliquid, quod non egeat interprete, maxime ſeipſis, aut agnoſcant, quod non proferant huiuſmodi teſtimonia, qualia exigebat Auguſtinus a Donatiſtis, nec qualia ipſi requirunt ad fundandam doctrinam neceſſariam ad ſalu-

tem; adeoque ſuam doctrinam non eſſe neceſſariam ad ſalutem, cum pro ea non habeant talia ſcripturæ teſtimonia, qualia ipſi dicunt eſſe neceſſaria ad doctrinam, quæ ſit neceſſaria.

7. Sexto, quomodocunque arguant ex ſcriptura, ſive per conſequentiam, ſive per directa teſtimonia, primum omnium deberent agere de Eccleſia, & quærere, *quæ ſit vera Eccleſia*, eo quod non poſſunt certo, & infallibiliter cognoſcere, quod ſcriptura ſit Verbum Dei ſine teſtimonio, & prædicatione Eccleſiæ Dei: Nam fides eſt ex auditu Eccleſiæ prædicantis, ut habetur Rom. 10. ſi ergo fide credimus ſcripturam eſſe verbum Dei, id habemus ex auditu Eccleſiæ prædicantis: *Quomodo enim credent ſine prædicante?*

Qua de re primum diſputandum ex ſcriptura.

præcedunt? Et quidem modo Proteſtantes ſolent fateri, quod non poſſumus eſſe certi, quod ſcriptura ſit verbum Dei ſine teſtimonio Eccleſiæ. At ſi Eccleſia eſt medium neceſſarium fidei ingenerandæ, ſi per eius miniſterium credimus, quæcunque credimus, ſi non crederemus Evangelio, niſi Eccleſia proponeret, ſi per eam ſcripturas cognoſcimus, quæ omnia a Proteſtantibus aſſeruntur; non poſſumus eſſe fide certi, quod ſcriptura ſit verbum Dei, niſi ſimus prius fide certi, quæ ſit Eccleſia; quia quod eſt medium neceſſarium cognoſcendi ſcripturum, & ſine quo non crederemus Euangelio, debet prius cognoſci, quam cognoſcatur Scriptura, ſeu Euangelium. Secundo, quia quæſtio, Quæ ſit vera Eccleſia, eſt

Quia Eccleſia neceſſaria ad cognoſcendam ſcripturam.

facilis cognitu. Nam Isaias c. 35. ait de Ecclesia *Hæc erit vobis directa via, ita vt stulti non errent, per eam*: vnde S. Augustinus lib. de vnitate, cap. 5. *Est causa, quam populus tenet*, c. 25. *Non est obscura quæstio, in qua populus posset falli.* At omnis ratio dictat, vt disputatio inchoetur a facilioribus, & notioribus nobis, maxime si disputetur coram vulgo, seu indoctis.

8. Tertio, quia decisa quæstione, Quæ sit vera Ecclesia, deciduntur omnes quæstiones fidei, quæ sunt necessariæ ad salutem: Nam euidens est, quod vera Ecclesia (quæcunque illa sit) tenet omnem fidem necessariam ad salutem, & nihil tenet, quod destruit salutem. Atque hoc euidens est ex scriptura, vbi dicitur Columna & Firmamentum ve-

veritatis, quod portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, quod Spiritus ſanctus docebit eam omnem veritatem, & quod, qui eam non audit, habendus eſt vt Ethnicus: At e contra, decimus etiam omnibus quæſtionibus doctrinæ, non ſumus certi, quod ſumus in vera Eccleſia: Nam ſchiſmatici tenent totam puram doctrinam, alioquin eſſent hæretici; idque docent Patres, atqui etiam Proteſtantes, vt patet l. 2. de Authore Proteſtanticæ Eccleſiæ, c. penultimo, vbi fuse oſtenditur, quod ſit ſophiſma, arguere a vera doctrina, ad veram Eccleſiam. Deinde, quia vera doctrina eſt tantum vna pars veræ Eccleſiæ, & aliæ ſunt, communio Sacramentorum, & legitimi miniſtri, vt patet ex diſinitionibus Eccleſiæ

ſæ, datis ab ipſis Proteſtantibus. Non licet autem affirmative arguere a parte ad totum, quando pars poteſt eſſe, vbi totum non eſt. Vnde Auguſtinus lib. 1. contra Creſcon. c. 29. docet & probat, quod poteſt eſſe vera fides extra Eccleſiam: Et l. 1. de Baptiſ. c. 8. ait: *Quid prodeſt homini vel ſana fides, vbi lethali vulnere ſchiſmatis perempta eſt ſanitas charitatis?* Quænam autem ſit vera Eccleſia Chriſti, hoc vno argumento certiſſime & euidentiſſime probari poteſt: *Antiquiſſima, inter omnes oppoſitas Eccleſiæ Chriſtianæ, eſt vera Eccleſia Chriſti: Romano-Catholica eſt antiquiſſima inter omnes Eccleſias Chriſtianis oppoſitus, ergo illa eſt vera Eccleſia Chriſti.* Maior eſt euidens, quia Chriſtus inſtituit ſuam veram Eccleſiam, an-

Vera fides poteſt eſſe extra Eccleſiam.

Quomodo conuincitur, quæ ſit vera Eccleſia.

antequam vllus Pseudo-Christianus institueret vllam falsam Christianam; & ex quo instituta est, nec Portæ Inferi prævaluerunt contra eam, ergo est omnium Christianarum Ecclesiarum, quæ sunt inuicem oppositæ, antiquissima: Minor probatur specialiter respectu Protestanticæ, quia Ecclesia protestantica, tota exijt ex Romana, & omnes primi Protestantes, qui nominari possunt, fuerunt prius Papistæ, quam Protestantes: At Ecclesia, ex qua alia exijt, est antiquior ea, quæ exijt. Si autem Protestans nolit disputare de Ecclesia, potest cogi huiusmodi argumento: *Si vestra doctrina sit vera doctrina Christi, erat aliqua Ecclesia immediate ante Lutherum, quæ eam tenuit; At nulla eam tenuit immediate*

Quomodo Protestans cogi potest ad disputandum de Ecclesia.

ante

ante Lutherum: Dico *immediate*, tum quia vera Eccleſia, tam fuit immediate ante Lutherum, quam immediate poſt Apoſtolos; tum quia notior eſt exiſtentia Eccleſiæ in tempore viciniori nobis, quam remotiori; & ſcala prius eſt eſt aſcendenda, quam deſcendenda.

9. Septimo. Si non obſtantibus ijs omnibus, quibus probauimus, primo eſſe diſputandum de quæſtionibus facti, quam iurs, & inter quæſtiones iuris, prius de Eccleſia, quam de alia vlla quæſtione iuris, Proteſtans tamen nolit primum diſputare de quæſtione facti prius, quam iuris, neque inter quæſtiones iuris, prius de Eccleſia, plane indicat ſe nolle ordinarie tractare quæſtiones, nec inquirere veritatem, qui eam non inquiri-

Hæreticus non obſeruat ordinem quæſtionum.

rit ordinarie, vt quærenda est, adeoque esse vnum ex ijs, de quibus ita Tertull. de Resur. c. 2. *Hæretici, conscij infirmitatis, nunquam ordinarie tractant.* Deinde, summopere videndum est, vt de quacunque iuris quæstione disputetur, recte ponatur status quæstionis, quo multis modis peccant Protestantes: Nam primo volunt disputare prius de re, quæ alteram supponit, vt de Transsubstantiatione, prius quam de Reali præsentia, cum quæstio de Transsubstantiatione supponat quæstionem de Reali præsentia; Secundo miscent multas quæstiones in vnam, vt ita quicquid habent contra vnam, videantur habere contra omnes: vt, *An Missa sit sacrificium propitiatorium pro viuis & mortuis?* vbi sunt tres diuersæ quæstiones; vt, *An Missa*

Protestans peccat contra quæstionis.

Missa sit sacrificium? An sit propitiatorium? &, *An pro vivis & mortuis?* Tertio, miscent quæstionem de fide cum illis, quæ non sunt de fide, vt cum quærunt, *An Papa sit Caput Ecclesiæ infallibile in definiendo res fidei, & potens deponere principes.* Sed tum ordo rectus, & naturalis quæstionum seruandus est, tum etiam earum distinctio, ita vt prius disputentur, quæ sunt iure priores, & seorsim disputentur, quæ sunt diuersæ, maxime si aliæ sunt quæstiones fidei, aliæ non. Quarto, proponunt quæstionem non per contradictoria; vt *An Eucharistia sit verum corpus Christi, necne*; sed sub terminis, qui habent speciem contradictionis, reuera tamen non sunt contradictorij, sed compatibiles, vt, *An Eucharistia sit*

Rectus ordo quæstionum est seruandus.

Corpus

Corpus Christi, vel figura eius. Quinto, non proponunt quæstionem accommodate ad verba scripturæ, sed prout ipsi possint facilius eludere vim verborum scripturæ: vt non solent quærere, *An Eucharistia sit verum Corpus Christi*; sed: *An sit Realis præsentia corporis Christi in Eucharistia*; Et cum præsentia in virtute, seu efficacia, sit realis, ponendo talem præsentiam, conantur eludere vim verborum Christi: Cum tamen quæstio statuenda sit de reali identitate Eucharistiæ cum corpore Christi; quia Christus non dixit: *Hic est Corpus meum*; quæ verba inferrent realem præsentiam Christi in Eucharistia; sed, *Hoc est Corpus meum*; quæ probant realem identitatem Eucharistiæ cum Corpore Christi. Sexto, proponunt

nunt quæſtionem potius ſub terminis Metaphoricis, qui ſæpe ſolent eſſe æquiuoci, quam ſub terminis proprijs, & claris, in quibus nulla ſit æquiuocatio, aut ambiguitas: vt quærunt potius: *An Papa ſit Caput Eccleſiæ*, quam, *An papa habeat Epiſcopalem iuriſdictionem ſuper omnes Fideles*; quia *Caput* propriiſſime dictum, conuenit illi ſoli, qui habet non tantum vim directiuam, ſed etiam infuſiuam virtutis in membra; cuiuſmodi Caput ſolus Chriſtus eſt, non autem Papa: Et, *An ſint aliqui articuli fidei Non-fundamentales*; potius quam, *An ſint aliqui articuli fidei Non-neceſſarij creditu, ſi ſufficienter proponantur.*

10. Octauo, reuera & reipsa vix conueniunt cum Catholicis in definitione vllius rei, de

de qua disputant, aut certe eam non obseruant: Nam cum definiunt veram Ecclesiam Christi, *esse societatem in professione purae, sue integrae doctrinae Christi, & in communione Sacramentorum eius, sub legitimis Ministris*; vbi nos inde inferimus, Protestantes non esse veram Ecclesiam, quia discesserunt a professione puræ, & integræ doctrinæ Christi, aut a communione Sacramentorum eius, aut non habent legitimos Ministros; negant puritatem doctrinæ Christi in omnibus articulis, aut communionem in Sacramentes eius, aut legitimos Ministros, esse partem essentialem, veræ Ecclesiæ: Sic *idolum* (inquit Vsherus sermone coram Comitiis) *iuxta Ecclesiasticum vsum verbi, significat imaginem positam ad cul-*

enitum religiosum. At vnde probat hunc Ecclesiasticum vsum? *Sacramentum* (inquiunt) *est signum, quo obsignatur fides nostra in Christum.* Atque ita reuera differunt in definitionibus pene omnium rerum controuersarum inter ipsos, & Catholicos. Vide hac de re Collationem doctrinæ Catholicorum & Protestantium, lib. 2. c. 19. Quare ante omnia in disputatione cum pertinaci Protestante, conueniendum est de definitione rei, de qua disputandum est, & de singulis eius particulis, atque ea attente obseruanda est. Aliter non intelligetur, nec quid sit, de quo disputatur, nec quid Protestans velit affirmare aut negare.

11. Nono, transeunt in disputatione a quæstione fidei, ad quæstionem, quæ non est de-

de fide; vt in quæſtione de cultu religioſo Sanctorum, Reliquiarum, aut Imaginum, *An ſint colenda*, quæ eſt quæſtio fidei, ad quæſtionem: *Quomodo ſunt colenda*, nempe an Latria, vel Dulia, quæ non eſt quæſtio fidei; Atque ita arguunt: *ſi predicta ſunt colenda; aut Latria, aut Dulia; ſed neutro modo; ergo.* Et a quæſtione: *An panis fiat Corpus Chriſte?* quæ eſt quæſtio fidei, ad quæſtionem: *Quo modo fiat, nempe per Actionem productiuam, aut Adductiuam*; Et ſic arguunt: *Si panis fiat Corpus Chriſti; aut per Actionem productiuam, aut Adductiuam; neutro modo; ergo*; Cum tamen ipſi fateantur, tum in Euchariſtia, tum in Traductione peccati originalis, & aliarum rerum, rem eſſe de fide, & modum non eſſe.

De

Decimo; Transeunt a disputatione ex Scriptura, ad disputationem ex Patribus; vt verba Cœnæ sunt figuratiue intelligenda, quia ita ea exposuit Tertullianus, aut Augustinus, cum tamen negent vel vnius, vel omnium Patrum expositionem, esse certam regulam exponendi scripturam.

12. Si dicant, quod licet consentiens expositio Patrum non multum faciat apud Protestantes, tamen multum valet contra Catholicos, vt argumentum ad hominem. Respondeo, quod argumentum ad hominem multum valet ad superandum Aduersarium, non tamen sufficit ad inueniendam veritatem: Nisi ergo velint ostendere, quod (vt loquitur Augustinus) quærunt *quoquo modo superare*; proferant rationem, quæ non tantum.

tum conuincat Aduerſarium, ſed etiam demonſtret veritatem, & oſtendat, quod iure deſeruerunt, & damnarunt fidem Catholicam: In diſputatione enim de fide, non tam quærenda eſt victoria, quam veritas: Et recte Tertullianus de Carne Chriſti, c. 6. *Quale eſt, vt alterius regula fides, ab ea fide, quam impugnat, inſtrumentum argumentationibus ſuis mutuetur?* Et iure quidem, ſi ſermo ſit de principali, ſeu fundamentali ratione ſuæ fidei: Nam talis non poteſt eſſe confeſſio, ſeu conuictio Aduerſariorum. Et nos cupimus audire fundamentalem rationem fidei Proteſtanticæ, ac talem expoſitionem, ſeu interpretationem ſcripturæ, qualem ipſi ſolam exiſtimant eſſe idoneam ad fundandam fidem ſuam; & niſi proferant

testem, plane indicant, se non habere talem expositionem verborum scripturæ, qualem solam ipsi putant sufficere ad fidem.

13. Vndecimo sæpe imponunt Catholicis, quæ aut omnino non credunt, aut saltem, non tanquam res fidei; aut quod vnus, aut alter Catholicus scriptor asseruit, aut scholastici Theologi docuerunt. Qualia aut affirmari, aut negari possunt, *salua fidei compage*, vt loquitur S. Augustinus. Vbi autem Sacerdos viderit Hæreticum constrictum aliquo suo argumento, ita vt tergiuersetur, ac nolit directe respondere, aut negando, aut affirmando, aut distinguendo, perpetuo eum vrgeat, vt directe respondeat; neque, donec ita responderit, progrediatur ad vllum aliud argumentum,

gumentum, etsi forte illud sibi videatur esse fortius. Hoc modo egit S. Augstinus cum hæreticis, Fortunato ac Felice, eoque modo alterum eorum conuertit, ab alter o extorsit confessionem victoriæ. Neque vnquam permittat Hæreticum comminisci distinctiones, per quas eludat argumentum, nisi vbi est aliquis terminus equiuocus, quia vniuoca non sunt distinguenda.

CAPVT V.

Quomodo disputandũ sit cum Protestante non pertinaci.

1. PRimo, & ante omnia cauendum est, ne illi detur vlla occasio suspicandi, quod Sacerdos cupiat eum confundere, seu triumphum

de illo agere, quia tunc periculum erit, ne euadat pertinax, nec tam cupiat videre veritatem, quam seipsum defendere: *Nam* (vt ait Seneca) *superbus est animus hominis, duci vult, cogi non vult*: Quapropter omnibus modis honestis captanda est eius beneuolentia, verbis, vultu, gestu, & si occasio ferat, etiam rebus, vt persuasum habeat, Sacerdotem ei bene velle, atque vt Medicum spiritualem, cupere salutem animæ suæ: Quare attente audiendæ sunt eius rationes, ac responsiones, & si fieri possit, etiam corroborandæ, vt ita videat nos nolle celare difficultatem, & postea accurate diluendæ.

2. Secundo vrgendus est, vt ipse primus suscipiat partes probantis, propter rationes superius factas.

3 Tertio,

3. Tertio, vt velit obſeruare rectum ordinem queſtionum, ac propterea prius diſputare de Miſſione, Ordinatione, ac Succeſſione Lutheri, ac priorum Miniſtrorum Proteſtanticorum, quam de eorum doctrina: Nam cum veri Miniſtri Chriſti ſint eius legati ad nos, iuxta illud Apoſtoli, *Pro Chriſto legatione fungimur*, prius videndæ ſunt eorum literæ, (vt loquuntur) Credentiales, quam audienda eorum Legatio: Et in omni bene inſtituta Republica, prius leguntur literæ, quibus inſtituitur aliquis Magiſtratus, aut Iudex, quam ipſi permittitur regere, aut iudicare; tum etiam quia rectus ordo diſputandi eſt iucipere a notioribus; notius autem eſt, An aliquis fuerit miſſus, ſeu ordinatus ad prædicandum aliquam doctrinam,

Quomodo prædicabunt, niſi mittantur?

ctrinam, quam an eius doctrina sit vera, & a Deo, quia illud est res facti, & visibilis; hæc autem est res iuris, & fidei tantum: Item notius est, an Lutherus, & primi Ministri Protestantici immediate successerint aliis similibus Ministris, prædicantibus eandem doctrinam, quam an eorum doctrina sit vera & a Deo reuelata: & bona causa nolet fugere rectum ordinem quæstionum.

4. Quarto, vt si velit disputare ex scriptura, prius probet se esse legitimum Possessorem scripturæ, & ostendat, quo iusto modo eam habuerit a Catholicis: Quia nisi iuste possideat scripturam, non potest iuste ea vti contra nos, magis quam latro, qui furatur gladium, potest eo vti contra ligitimum eius Dominum.

5.

5. Quinto, ſi velit diſputare ex ſcriptura, dicat, an velit agere ex illa ſola, an partim ex ſcriptura, partim ex ratione humana; ſi ex illa ſola, tunc proferat directa teſtimonia, quæ ſine conſequentia, aut illatione humana dicant id, quod ipſe credit; item clara, quæ nullo interprete egeant, ſed aut dicant id, quod ipſe credit, in terminis expreſſis, aut qui ſunt, omnium iudicio, æquipollentes, propter rationes ſupra factas: Aut ſi dicat ſe acturum partim ex ſcriptura, partim ex ratione humana, fateatur primum, ſctipturam ſolam non eſſe regulam, ſeu fundamentum ſuæ fidei, ſed partim etiam rationem humanam; neque ſcripturam eſſe perfectam regulam ſuam, cum egeat ratione humana ad regulandam ſuam

fidem: Aut si vult agere partim ex ratione, seu principio humano, videat, vt illud principium sit euidens, & certum apud omnes homines, quia aliter conclusio inde illata non poterit esse certa apud omnes: Præterea cogitet, quod vtcunque principium humanum certum esset apud omnes, tamen cum non habeat certitudinem diuinam & infallibilem, eo quod nunquam sit a Deo reuelatum, conclusio inde illata non poterit (ex vi illationis) habere maiorem certitudinem, quam humanam; quia conclusio non potest habere, ex vi illationis ex aliquo principio, maiorem certitudinem, quam habeat ipsum principium, ex quo infertur: atque hinc clare patebit, quod Protestantes non possunt habere diuinam, & infallibilem

fallibilem certitudinem de conſequentiis ſuis, quas inferunt partim ex ſcriptura, & partim ex ratione, ſeu principio humano, ſed ad ſummum humanam certitudinem, adeoque quod de ijs habere non poſſint fidem diuinam: ſecundo patebit, quod nec habere poſſunt tantam certitudinem de ijs, quanta humana eſſe poteſt, quia eorum principia humana, non ſunt reuere euidentia, aut certa omnibus, ſed tantum apparentia, ſeu veriſimilia, & reuera falſa, vt patebit, examinando omnia eorum principia humana, ex quibus arguunt contra Catholicos, & vnde inferunt eas conſequentias ſuas, quas aſſerunt, ſe fide credere: Et ſimiliter patebit, quod omnes eorum æquipollentiæ ſunt tantum apparentes, & reuera fal-

fæ; vt cum dicunt illud Apoſtoli: *Non iuſtificari, niſi fide*: æquipollere eorum dogmati: *Iuſtificari fide tantum*: Nam, *Non iuſtificari, niſi fide*, non excludit opera, ſed tantum includit fidem, vt neceſſariam cauſam, ſaltem partialem, iuſtificationis: At *iuſtificari fide tantum*, plane excludit opera, & aſſerit, fidem eſſe totalem cauſam iuſtificationis; quorum neutrum, verba Apoſtoli dicunt: nam nec excludunt opera, nec aſſerunt fidem eſſe totalem iuſtificationis cauſam, ſed ſolum eam eſſe cauſam neceſſariam; quod veriſſimum eſt, licet ſit tantum cauſa partialis.

6. Sexto, ſi velit diſputare ex ſcriptura de quæſtione aliqua iuris, quod primum diſputet de Eccleſia, *vtrum Catholica, vel Proteſtantica, ſit vera Eccleſia*

eleſia Chriſti, propter rationes ſupra allatas.

7. Septimo, vt (cum non admittat iudicem, aut interpretem infallibilem ſcripturæ) conueniat ſaltem de aliquo rationabili, & æquo modo exponendi ſcripturæ verba: quia ſi nec admittat, aut iudicem, aut interpretem ſcripturæ, ſed tantum regulam, debet ſaltem admittere aliquem rationabilem modum eam explicandi, ſeu interpretandi, qui ſit æquus vtique parti; Rationabilior autem, ſeu æquior modus interpretandi ſcripturam, excogitari non poteſt, quam quando ſcriptura aliquid dicit, non obiter, ſed ex profeſſo, eius verba exponantur ſecundum vſitatum ſenſum, quo talia verba homines dicere ſolent, & intelligere: Nam cum Deus

Dauenant de iuſt. c. 22. *Verborum ſenſus optime ex illis locis colligitur, in quibus doctrina aliqua ex profeſſo tractatur.*

in ſcriptura loquatur nobis verbis humanis, & more humano, euidens eſt, quod quando ex profeſſo loquitur, eis vtatur in ſenſu, quo homines eis ſolent vti, quia aliter non poſſet certo a nobis intelligi. Sicut homo, niſi vteretur verbis humanis, in eo ſenſu, quo ſolent homines eis vti, non poſſet certo intelligi, quid ſibi velit: vnde recte S. Auguſtinus: *An Deus nobiſcum loquens, aliter quam more noſtro loqueretur?* Certe non; niſi nollet a nobis intelligi. Deinde, quia aliter cuilibet hæretico facultas dabitur exponendi verba ſcripturæ pro ſuo libitu: Nec poteſt coerceri, niſi aut admittat aliquem iudicem, ſeu interpretem ſcripturæ, aut ſaltem admittat verba ſcripturæ ex profeſſo dicta de re aliqua, vt intelligeremus,

telligeremus, quid illa ſit, eſſe intelligenda in communi & vſitato ſenſu, quo homines talia verba dicere ſolent, & intelligere. Præterea, non poteſt non videri manifeſtum ſignum malæ cauſæ, quæ nec vult admittere vllum iudicem, aut interpretem verborum ſcripturæ, ſed nec communem, & vſitatum ſenſum, quo homines talia verba (quando ex profeſſo dicuntur, vt aliquid intelligamus) & dicere ſolent & intelligere; ſed vult, vt præferatur ſenſus inuſitatus, priuatus, coactus, & nuper inuentus, ſenſui communi, & vſitato apud omnes homines, quando eiuſmodi verbis vtuntur: Quæ enim cauſa ferre non poteſt aut iudicem, aut interpretem verborum ſcripturæ, ſed neque ſenſum communem, & vſitatum, quo talia ver-

verba (quando ex professo dicuntur) intelliguntur apud homines, sed cogitur excogitare peregrinum, coactum, & inusitatum sensum talium verborum, ea pessima causa censenda est. Si autem communis, & vsitatus sensus verborum Christi, quando ex professo de re aliqua dicuntur, admittatur pro regula controuersiarum, manifeste vicerunt Catholici, pene in omnibus controuersijs cum Protestantibus, vt manifeste patet ex collatione doctrinæ Catholicorum, & Protestantium cum expressis verbis S. Scripturæ : Atque hæc sit prima lex exponendi verba scripturæ ; vt verba scripturæ, quando ex professo dicuntur de re aliqua, vt intelligamus, quid illa sit, intelligantur potius per communem, & vsi-

tum

tum ſenſum eorum apud homines, quam per peregrinum & inuſitatum. Secunda regula ſimilis huic eſt, quod quando ſcriptura ſæpe, & diſerte affirmat aliquid ex profeſſo, nunquam autèm diſerte id negat, nec eius negatio inferri poteſt ex ſcriptura, niſi addita ratione, ſeu principio humano, quod nec Deus, nec ſcriptura vſquam dixit; neque eſt ita euidens apud homines, *vt in dubium* (prout loquitur S. Auguſtinus) *venire non poſſet*, quod tunc credendum eſt, potius ſcripturam id dicere, quod ipſa ſæpe, & diſerte dicit, quam contrarium, quod nunquam diſerte dicit, nec poteſt inferri ex verbis eius, niſi addito verbo hominis, quod nec ipſa, nec omnes homines dicunt. Hæc regula videtur per ſe euidens:

Quis enim ſapiens, non potius ſentit id, quod ſæpe, & diſerte dicit, quam contrarium, quod nunquam diſerte dicit, nec poteſt inferri ex verbis eius, niſi additis verbis alterius, quæ ipſe nunquam dixit, nec ſunt euidentia per ſe? Aut quis ſapiens Doctor, ſeu Magiſter, docet res ſublimes, & difficiles, ſolummodo per contrarium, nempe ſæpe & diſerte affirmando eas eſſe, quod non ſunt, nunquam autem negando, quod ſint illud? Et ſapientia Patris docuit nos myſterium fidei, quo modo nullus homo mentis compos ſolet docere? Quater ſcriptura diſerte ex profeſſo dicit, quod Euchariſtia ſit corpus, & ſanguis Chriſti; & nuſquam negat diſerte, quod ſit eius corpus, & ſanguis, neque hæc negatio in-

inferri poteſt ex eius verbis, niſi additis verbis humanis, quæ illa nuſquam dicit, nec ſunt vel certa, vel etiam vera; vt quod *commemoratio non poteſt eſſe ipſa res commemorata*: Et nos credemus, quod Euchariſtia non ſit corpus Chriſti; non autem quod ſit corpus Chriſti? Eſtne hoc facere ſcripturam ſolam perfectam regulam fidei, regulare maxima myſteria fidei non per id, quod clare & diſerte dicit, ſed per contrarium, quod nuſquam diſerte dicit? An non potius eſt exponere ſcripturam riſui infidelium? An vnquam audita eſt alias huiuſmodi regula? An leges humanæ, ita regulant? An vlla diſciplina humana, ita traditur? Plures regulæ exponendi verba ſcripturæ, dari poſſunt, contra quas Proteſtantes peccant,

cant, vt facile colligi potest ex collatione prædicta, lib. 2. sed si Protestantes has duas regulas exponendi scripturæ verba admittant, magna spes esse potest, quod eis fides Catholica persuadebitur: si autem non admittant, certe pertinaces erunt, & irrationales, quia hæ regulæ non possunt non videri maxime consentaneæ rationi, & eas possumus vrgere contra pertinaces Protestantes: Et si hæ regulæ, seu conditiones obseruentur, præsertim prima, Protestans moderatus non poterit tueri suos errores, quia damnantur per verba expressa scripturæ, & dicta ex professo, in communi, & visitato eorum sensu apud homines; vt euidenter ostensum est in primo libro Collationis prædictæ: Nec quicquam simile potest obijcere

Ca-

Catholicis, qnia nunqnam inueniet verba ſcripturæ expreſſa, & ex profeſſo dicta, quæ in eorum obuio, communi & vſitato ſenſu apud homines, aduerſantur Catholicis.

8. Vbi autem Sacerdos conuerterit Proteſtantem, aut inuenerit nouum, ſeu recentem Catholicum, ſtudeat eum diligenter inſtruere in fundamentis Chriſtianæ fidei, nempe vt non credat ea, quæ Catholici credunt, quia ſibi videntur vera, aut quia ſibi videtur, quod tradantur in ſcriptura, ſed quia Catholica Eccleſia ea vera eſſe docet; vel quia illa ea colligit ex ſcriptura: Nam Fides ex auditu Eccleſiæ prædicantis, Rom. 10. & Catholica Eccleſia eſt columna, & firmamentum veritatis, contra quam nec portæ

inferi prævalebunt; & qui eam non audit, habendus est vt Ethnicus: Et eius Pastores, positi sunt in Ecclesia a Deo, ad consummandos sanctos, & eos continendos in unitate, & constantia fidei: & qui eos audit, Christum audit: Cuiusque autem particularis hominis iudicium, incertum est, neque ei promisit Christus assistentiam Spiritus sancti, prout promisit Ecclesiæ suæ & Pastoribus eius: Ac proinde in rebus fidei, nulli nitendum est suo iudicio, quid verum ipsi videatur, quid falsum, quid scriptura doceat, quid non doceat, sed iudicio Ecclesiæ, & Pastorum eius, quibus sui spiritus assistentiam pollicitus est Christus, & quos Duces nostros vult esse in via salutis sempiternæ. Quis autem Christianus mentis compos,

pos, non potius nitatur iudicio Eccleſiæ, & Paſtorum eius, quibus clariſſime Chriſtus promiſit aſſiſtentiam Spiritus ſancti, & quos Proteſtantes ipſi fa entur eſſe infallibiles in rebus neceſſarijs ad ſalutem, quam ſuo proprio iudicio, cui nulla huiuſmodi aſſiſtentia promiſſa eſt? Et ſi huic columnæ a Chriſto inſtitutæ nitatur, hos Duces a Chriſto poſitos ſequatur, nunquam in fide vacillabit: vnde optime S. Auguſtinus in Pſal. 30. *Quod eſt Tabernaculum? Eccleſia huius temporis Tabernaculum ideo dicitur, quia adhuc in terra peregrinatur: ergo in Tabernaculo proteges eos a contradictione linguarum. Contradicunt linguæ multæ, diuerſæ hæreſes, diuerſa ſchiſmata perſonant, linguæ multæ contradicunt veraci doctrinæ. Tu*

curre

curre ad Tabernaculum Dei; Ecclesiam Catholicam tene; a regula veritatis noli discedere, & protegeris in Tabernaculo a contradictione linguarum.

CAPUT VI.

Quomodo agendum sit cum schismaticis in Anglia?

1. SCiendum est, quod ij, quos in Anglia vocamus schismaticos, multo graviùs peccant, quam vetetes schismataci, nempe Meletiani, aut Luciferiani, & similes faciebant: Nam illi solum peccabant in non communicando in Sacramentis, & publico cultu Dei cum vera Ecclesia, non autem profitebantur heresim, aut verbo aut facto: At schisma-

schismatici in Anglia, non tantum peccant in non communicando in Sacramentis, & publico cultu Dei, cum vera Ecclesia, ob quod sunt veri schismatici: sed etiam communicando cum hæreticis in eorum Sacramentis, aut publico cultu, ideoque saltem facto ipso abnegant fidem Catholicam, & profitentur hæresim, ob quod exterius habendi sunt hæretici. Qua propter ostendenda est illis gratis, non tantum peccati schismatis, sed etiam peccati abnegationis fidei Catholicæ, & professionis hæresis.

2. Quam graue autem sit peccatum schismatis, patet manifeste ex dira illa punitione Core, Dathan, & Abiron, qui fuerunt primi schismatici in synagoga, quos terra dehiscens absorbuit, descenderuntque

runtque viui in infernum, cum tamen primi idololatræ in ſynagoga tantum gladio puniti ſint: vnde S. Auguſtinus lib. 1. de Baptiſm. cap. 8. *Illi, quas* (Donatiſtæ) *baptizant, ſanant a vulnere idololatriæ, vel infidelitatis; ſed grauius feriunt vulnere ſchiſmatis: idololatras enim in populo Dei gladius interemit; ſchiſmaticos autem terræ hiatus abſorbuit.* Et ibidem: *Quid prodeſt homini ſana fides, ſi lethali vulnere ſchiſmatis perempta eſt ſanitas charitatis?* Et lib. 2. cap. 6. *Idololatria gladio punita eſt, ſchiſma hiatu terræ, ſepultis authoribus viuis, & cæteris cæleſti igne conſumptis: Quis iam dubitauerit hoc eſſe ſceleratius commiſſum, quod eſt grauius vindicatum?* Idemq; habet S. Optatus lib. 1. Item S. Auguſtinus epiſt. 204. *Foris*

ab Ecclesia constitutus, & separatus a compage unitatis, & vinculo charitatis, aterno supplicio punireris, etsi pro Christi nomine vivus incendereris. Item epist 171. *Si traditio Codicum scelerata est, quam Deus in Regem, qui Hieremiæ librum incendit, morte publica vindicauit, quanto sceleratius est sacrilegium schismatis, cuius Authores aperta terra vivos absorbuit?* Idem repetit epi. 172. lib. 2. contra Petil. c. 8. sic habet: *Quod vos a communione totius orbis terrarum separatos videmus, quod scelus & maximum, & manifestum est, si exaggerare velim, tempus me citius, quam verba deficient.* Et S. Fulgentus de fide ad Pet. c. 38. *Firmißime tene, & nullatenus dubites, non, solum omnes Paganos, sed etiam omnes Iudeos, hæreticos, atque schismaticos,*

sores, qui contra Ecclesiam Catholicam, præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus est diabolo & Angelis eius. Et S. Thomas 2. 2. q. 39. art. 2. *Inter peccata, quæ sunt in proximum, peccatum schismatis videtur esse maximum, quia est contra spiritualem bonum multitudinis.* Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. 6. ait, non esse minus illustres Martyres, qui mortem oppetunt, ne faciant schisma, quam ne sacrificent idolis: schismatici dilaniant corpus mysticum Christi, & diuidunt inconsutilem eius tunicam, quam nec carnifices eius fecerunt; reddunt se incapaces omnis influxus gratiæ; *quia* (vt ait S. Augustinus, *spiritus Christi non vivificat nisi membra, quæ sunt in corpore Christi.* Deinde, schismatici

matici se exponunt manifesto periculo amittendi fidem Catholicam, in audiendo conciones hæreticorum, & communicando eorum publicis Liturgijs, vt per se euidens est, & experientia constat in multis, in Anglia.

3. Si autem schismaticum esse, & separari a communione Ecclesiæ, tam graue peccatum sit erga Deum, & tam damnosum homini, vtpote quod eum priuat omni fructu sacramentorum quorumque, omnium precum, & bonorum operum, omnium spiritualium influxuum, quanto gravius est, abnegare etiam fidem Catholicam, & publico facto profiteri hæresim, quæ est species infidelitatis, & tacite, seu implicite negat Deum esse veracem, seu fidelem in omnibus verbis suis? Christus

 ait,

ait, *Qui negauerit me coram hominibus, negabo eum coram Patre meo:* Et quid miseri esse potest, quam negari Christo coram Patre suo? Negat autem Christum, qui culpabiliter negat vllam doctrinam Christi sufficienter nisi propositam, prout faciunt omnes hæretici: Vnde sancti Patres dicunt Hæreticos esse Pseudochristianos, non esse Christianos, esse Antichristos nec habere Christum, nisi nomine tenus: Quam graue autem sit non esse Christianum esse Pseudochristianum, esse Antichristum, habere Christum tantum nomine tenus satis notum est cuiuis vero Christiano: S. Thomas 2. 2. q. 11. art. 1. ait: *Hæresis est species infidelitatis:* Et q. 11. art. 3. *Manifestum est, quod infidelitas est maius omnibus peccatis*

Augustin. lib. 3 de Bapt. c. 19. Tertul. præscr. c. 37. Cyprianus epist 73 Augustin. Enchir. c. 5.

catis, quæ contingunt in peruersitate morum. Idque euidens est, quia tam hæresis, quam infidelitas est contra fidem, quæ est virtus Theologica, & fundamentum omnis structuræ spiratualis: Communicando cum hæreticis, non solum non profitemur fidem Catholicam, sed etiam eam abnegamus, & profitemur errorem oppositum, esse fidem diuinam; quod non solum non est profiteri Christum, sed eum abnegare, & profiteri diabolum, qui author est omnis hæresis.

4. Quantum etiam hoc Deo displiceat, patet ex multis, & tremendis exemplis in schismaticis, in Anglia, quorum nonnulli, cum penes se tenerent Sacerdotes, vt per eos, in articulo mortis, Ecclesiæ reconciliarentur, aut subita mor-

te præventi sunt, aut morte abrupti, quando Sacerdotes eorum abfuerunt, & nullus Sacerdos inveniri poterat, qui eos reconciliaret.

CAPVT VII.

Quomodo agendum sit cum malis Catholicis.

PRimo ostendendum est illis, quod sint tantum semicatholici: Nam cum Catholicus debeat & verbis, & factis profiteri fidem Catholicam, ipsi verbis tantum eam profitentur, factis autem negant: Secundo, quod dupliciter peccant, non solum contra eam virtutem, quam transgrediuntur, sed etiam quia scándalum dant hæreticis, qui ex

ex mala eorum vita capiunt offendiculum contra fidem Catholicam, eamque auerſantur, ob malam vitam eorum, qui eam profitentur: vnde ait Deus per Prophetam: *Propter vos blaſphematur nomen meum in Gentibus.* Tertio, quia hoc pacto impediunt conuerſionem patriæ: Nam expeditiſſimum medium conuerſionis hæreticorum, eſt pia vita Catholicorum, & graue impedimentum, eſt diſſoluta vita eorundem. Quarto, proponenda eſt illis breuitas, & incertitudo vitæ, & certitudo pœnarum, quas ſubibunt, illi grauiores, qui nouerunt voluntatem Dei, & non faciunt, & quibus Deus tantum fauorem exhibuit, vt inter tot millia hæreticorum, eos fide Catholica donauerit. Quinto, proponenda eſt illis grauitas

pœnarum, siue Inferni, siue Purgatorij, quas certo sciunt luituros eos, qui peccant.

CAPVT VIII.

Quomodo agendum cum bonis Catholicis.

PRimo monendi sunt, quod quicquid boni agant, id habeant a Deo, a quo omne datum optimum, & quod non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, tanquam ex nobis, & proinde humilient se Deo, & gratias illi agant, quod illi vtcumque seruiant. Secundo animandi sunt, vt eant de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion, & quod vbi cœperint non proficere, incipiant deficere.

Tertio,

Tertio, ne habeant propoſitum non deſiſtendi ab aliquo peccato veniali, ſeu non emendandi aliquam imperfectionem, cui obnoxij ſunt, quia illud priuat eos multis, & magnis conſolationibus, & tanquam albugo in oculo, impedit, ne ita clare videant res diuinas, vt alias viderent. Quarto, vt conſtanter ferant perſecutiones, & cruces propter amorem Dei, qui ita dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Deinde ob amorem Chriſti, qui dedit ſemetipſum pro nobis, item ob exemplum ſanctorum, qui multo grauiora paſſi ſunt, quam ipſi patiuntur, & demum ob mercedem, quæ tanta eſt, vt nec oculus eam viderit, nec auris audiuerit, nec in cor hominis aſcenderit, & ad quam non ſunt condignæ

passiones huius temporis. Hortentur etiam eos vt pro viribus studeant conuertere & Hæreticos ab hæresi, & schismaticos a schismate, & malos Catholicos a vitijs, quia hoc est Deo gratissimum, & maxime satisfactorium pro seipsis, iuxta illud S. Iacobi: *Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vie sue, saluabit animam eius, & operiet multitudinem peccatorum.*

FINIS.

Monitis Addendum in fine pag. 106. ante Legatum Doctoris Champnei.

PRæstantissimis hujus libelli MONITIS (Rev. admodum Patres & confratres) UNICUM *tantummodò* Coronidis loco, Ad mentem sine dubio Reverendissimi Antistitis,

tiſtitis, & in Noſtrûm omnium gratiam & emolumentum, redundaturum ſuperaddere mihi liceat. Silicet, cum penitus interdicat S. Sancta Synodus Tridentina, ne ex redditibus Eccleſiæ Clerici conſanguineos familiareſvè ſuos augere ſtudeant, cùm & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſint iis, ut pauperibus diſtribuant, eas autem non diſtrahant; nec diſſipent illorum cauſâ: imò cùm, *quàm maximè poteſt*, eos moneat, ut omnem humanum hunc erga fratres

Seſſ. 25. *cap.* 1.

fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, undè multorum malorum in Ecclesia Seminarium extat, penitùs, deponant; manifestum planè videtur, licet nos Clerici in Anglia Beneficia proprie, impræsentiarum non habeamus, (sicut nec in Apostolorum temporibus Clerici habuere,) Nos tamèn omnia illa Bona, quæ per Functiones purè Ecclesiasticas, ultra decentem sustentationem, in vita reservare potuerimus, viventes Largiendo, vel morientes testando, piis usibus relinquere debere, ac præcipue in Bonum Ecclesiæ

Ecclesiæ, Clericique: idcircò dum sanitate fruamur, habeat quilibet nostrûm apud se vel Fidelem Amicum Testamentum ritè conditum, ut sic quæ prædictis usibus pie destinentur, ad Dei Gloriam, & Ecclesiæ utilitatem certiorem effectum, fortiantur.

LEGATVM

ANTONII CHAMPNEI Doctoris Sorbonici Fratribus ſuis cleri Anglicani Sacerdotibus, teſtamento relictum.

Admodum Reuerendi Patres, ac dilectiſſimi in Chriſto Fratres.

CVM vitæ meæ curſum ad eam vſque ætatem protraxerim, vt propediem, e corporis huius carcere, expectanda mihi ſit ſolutio; neceſſarium plane duxi, quod reliquum eſt ætatis meæ in illo ſtudio impendere, vt, aliis

omnibus ſepoſitis cogitationibus, mundoque valedicto, in mortis horam me præparem. Et quia non minima præparationis ad mortem pars putatur, munuſcula aliqua, pro cuiuſque vel facultate, vel voluntate, veluti amoris ſui argumenta, amicis relinquere; hinc eſt quod & ego (ne in publicos mores peccem) morti iam vicinus, vobis omnibus, & ſingulis, teſtimonium aliquod amoris erga vos mei relinquere cupiam. Sed cum ex vna parte non ignorem quam futile, & inane ſit illud amoris teſtimonium, quod nudis tantum verbis exprimitur; teſtante S. Ioanne: *Non diligamus verbo, & ſermone, ſed opere, & veritate.* Et S. Gregorio: *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis:* Et cum, ex altera parte, conſcius mihi ſim,

quam

quam nihil earum rerum habeam, quas moribundi homines amicis ſuis legare ſoleant; aliud certe muneris genus quærendum mihi eſt, quod & mihi dare non ſit difficile, vobis autem accipere vtile omnino videatur. Vobis ergo, dilectiſſimi, legatum, ſeu mortuarium donum, per teſtamentum relinquo; quod, quale quale eſt, ſi vobis acceptum fuerit, maiores longe vobis & diuitias, & delicias afferet, quam ſi ſæcularibus vos theſauris cumularem.

Et ne longiori ſermone ſuſpenſos vos teneam, dicam verbo, me nihil carius pretioſiuſve vobis legare poſſe, quam ſalubre hoc conſilium, ſcilicet: Vt aureum illum Antonij Molinæ Carthuſianæ familiæ monachi, *De Inſtructione Sacerdotum*, librum at

tente,

tente, & sæpius legatis; & sedulo quod legitis, executioni mandetis. Hoc enim si feceritis, boni euasuri estis Sacerdotes; quod longe beatius, optabiliusque est, quam regio Diademate insigniri.

Quod autem potior longe res sit bonum esse Sacerdotem, quam regem magnum, nemo est qui dubitat: si autem aliquis dubitet, prædictum librum eo attentius legat, & sine dubio, Sacerdotalem omni alij potestati a Deo (non est enim potestas nisi a Deo) hominibus commissæ, prælucere fatebitur. Et quia executio, seu praxis earum admonitionum, quæ in hoc libro traduntur, proculdubio, nos bonos Sacerdotes efficiet; non existimo me alienum aliquid a veritate dixisse, cum affirmarem legatum, seu mu-

munus hoc meum, quod vobis relinquo, maioris pretij esse, & dignitatis, quam sæcularia quæuis emolumenta, aut diuitiæ. Et certe quamuis vel hoc solo nomine debeant Sacerdotes omnes, qui animæ suæ saluti inuigilant, in hunc librum inspicere, & facere secundum exemplar, quod in eo monstratum fuerit; non deest tamen aliud motiuum quod, qui attente considerauerit, æquale illud esse superiori motiuo sentiet. At quale illud? certe hoc: quod, scilicet, si ab instituto nostro defecerimus, & neglecta gratia, quæ data est nobis per manuum impositionem, in gentium vitam abierimus; non modo in hoc sæculo omnium hominum uilissimi, abiectissimique habebimur, verum (quod acerbius est) in futuro etiam sæculo mi-

miſerrimi omnium euademus. Quod vero ne maiori cum vehementia, & contentione, quam veritate, a me dictum videatur; audite Fratres, quid ipſa veritas de Sacerdotibus loquens intonat: *Vos eſtis ſal terræ quod ſi ſal euanuerit, ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Quod quidem dictum de Sacerdotibus verius, magiſque ad litteram, quam de alijs quibuſuis hominibus pronunciatum eſſe exiſtimo. Alij enim cuiuſcunque vocationis viri, quamuis aliunde perditi, nequiſſimique homines, huic ſaltem arti, quam profitentur, apti ſunt, & apud Magnates, & Principes non raro in pretio habentur: at Sacerdotes, qui manum ad aratrum (vt in Euangelio eſt) ſemel miſerunt, & tamen poſtea

Matth.

ſtea retro ad ſæcularia deſideria reſpiciunt; qui Apoſtolorum honore inſigniti, in Apoſtatarum vitia, id eſt, de cælo (vt ait Tertullianus) in cœnum ſe proijciunt, adeo omnibus dedecori, & contemptui, ſunt, vt nulli vſui apti iudicentur; ideoque pluſquam digni habeantur, qui, tanquam quiſquiliæ, & inutile terræ pondus, omnium pedibus conculcentur. Quo quid dici poteſt vilius? Et tamen S. Lucas vilitatem eorum vlterius aggrauare videtur, dicens: *neque in ſterquilinium vtile eſſe*, ſcilicet, *Sal* quod euanuerit. Et cum hoc dixiſſet Euangeliſta, addit familiarem illum loquendi modum, qui vim quandam, & emphaſim importat, ſcilicet: *Qui habet aures audiendi, audiat.*

At-

Atque hoc ipsum Spiritus sanctus alio exemplo a viti desumpto exprimit. Sicut enim vitis, si fructum fert, omnibus aliis arboribus, plantisque praestat: ita e contra, si infructifera manet, inutilis plane est, & omnium arborum vilissima: imo adeo inutilis est, inquit Deus per Prophetam, ut incepta plane sit, de qua fiat paxillus, ut dependeat in eo quodcunque vas, vel uter ad parietem; ideoque igni tantum ad devorandum detur. Quod quidem, etsi de quauis anima intelligi possit, principalius tamen, & primo loco de Sacerdotibus intelligitur. Atque haec quantum ad vilitatem malorum Sacerdotum in hoc mundo dicta sufficiant.

Quantum autem ad miseriam eorum in sequenti saeculo; certum est strictissimum

eos

ſubituros examen in tremendo iudicij die, pœnaſque eorum in inferno (de diſcolis maliſque Sacerdotibus loquor) pares futuras officio illi, ſeu dignitati, quam in hoc ſæculo, adminiſtrarant; quæ cum ſit maxima omnium dignitatum creaturæ alicui a Deo collatarum, excepta dignitate Beatiſſimæ Virginis Mariæ (vti Author huius libri dilucide probat) ſequitur neceſſario, ſtrictius eos, quam aliud quodcunque hominum genus, iudicium ſubituros. Atque hinc manifeſte apparet, quam neceſſarium ſit omnibus Sacerdotibus, ſumma diligentia, & cura in id ſtudium incumbere, vt vocationi ſuæ, & *ſibi* (vt S. Pauli vtar verbis) *attendentes*, boni Sacerdotes euadant, quod quidem hic liber ſolide, & dilucide docet. Quapropter,

pter, Fratres, non existimo maius me, luculentiusve amoris erga vos mei testimonium relinquere posse, quam si attentam, ac sedulam huius libelli lectionem, vobis commendavero; quod & obnixe facio. Et quia certus sum huius libri lectionem, non minorem allaturam vtilitatem tam ijs, qui nobis in vinea Domini succesturi sunt, quam ijs, qui etiamnum in ea laborant; hinc est quod prædicti libri vsum ijs similiter, qui, vel in præsentiarum habent, vel in futurum, Seminariorum eorum, vnde Cleri successio expectanda est, administrationem habituri sunt, commendatum esse velim: eos interim suppliciter, serioque monens (si tantos viros monere ausim) quatenus nec promoveant, nec ad sacram Sacerdotij dignitatem

gnitatem quenquam ſuorum promouendum permittant, niſi qui prius ex hujus libri primos tractatus non Perfunctorie legerit; huiuſque libri lectionem partem ſui ſtudij,& lectionis, per totius vitæ ſuæ ſpatium, (niſi iuſta aliunde occaſione impediatur) facturum ſe vel promiſerit, vel certe ſtatuerit. Neque hoc ita a me dictum eſt, quaſi admonitione hac mea, ordinandorum conſcientijs onu aliquod, obligationemve ſuperimponere velim (hoc enim nec in poteſtate, nec certe in voluntate mea poſitum eſt) ſed hoc tantum cupio,& intendo, monere ſcilicet amice (ſi tandem vel hoc mihi liceat) & proponere illud, per quod non modicam vnicuique vtilitatem allatum iri certiſſima experientia ſcio.

Et

Et certe Deus Opt. Max. cuius infinita bonitas omnes homines ſaluos fieri cupit, videns Sacerdotes ſuos, quos ad hoc munus elegit, vt lucernæ eſſent, duceſque populo ſuo in ardua hac ad ſalutem via, dicendo illis: *Vos eſtis lux mundi*; videns, inquam, Deus Sacerdotes ſuos, in magno hoc munere exequendo, negligentiores longe factos, quam par eſt; authorem huius libri ſeruum ſuum fideliſſimum ſuſcitauit, ſpirituque intelligentiæ,& pietatis impleuit, vt alij omnes Sacerdotes, ſi modo voluerint, eius zelo, ſpirituſq; fulgore illuminati, tandem diſcant, quam eminens ſit Sacerdotj dignitas, quam adminiſtrant, atque adeo, quam ſeuerum eos, quos Deus hoc honore dignatus eſt, iudicium in futurum maneat.

Si

Si autem de alijs ex meipso coniecturam facere liceret, existimarem facile, paucos admodum esse hac tempestate Sacerdotes, qui muneris sui dignitatem penitus cognoscentes, pretium illi quale debeant, ponere sciant. Et quia defectus huius scientiæ, defectum etiam debitæ curæ, (quod peius est) industriæque in eius executione affert; eo vehementius, Fratres, sedulam huius libri, in quo doctissimi quique, & piissimi (si mea me non fallat opinio) plurima ad animarum suarum utilitatem addiscant, lectionem, commendo.

Neque hoc quidem mei solius est iudicium, vel opinio, verum etiam aliorum, quorum longe maioris ponderis est iudicium. Quippe Episcopi Hispaniæ (quorum laudata sem-

ſemper fuit virtus, & doctrina) neminem ad ſacros Ordines admittunt, niſi quem prius ad huius libri lectionem adſtrinxerint. Quid, quod ſanctiſſimus ille Sacerdotum ſæcularium in Gallia cætus (quem vulgo *Patres Miſſionis* vocant) tantum huic libro deferat, vt nullum pene alium iuuenibus illis, quos (cum ingenti Eccleſiæ vtilitate) ſanctis imbutos moribus ad Sacerdotium præparat, quam hunc authorem noſtrum in manus tradat? Vt nihil dicam de plurimis, grauiſſimiſque Religioſorum familiis, quæ hunc librum, in refectoriis inter prandendum nunquam non lectitant. Atque hinc, ſine dubio, eſt, quod liber ille adeo ab omnibus auide deſideretur, vt author quidam non contemnendæ authoritatis, vigeſies

hunc

hunc librum, in Hiſpania ſola, idque ſeptem tantummodo annorum ſpatio, excuſum fuiſſe, publice teſtari non vereatur. Quod quidem, illius etiam teſtimonio, qui eundem librum in Gallicum ſermonem vertit, comprobatur. Quippe in præfatione ſuæ verſionis, pro certo ſe compertum habere dicit, octies vno anno hunc librum typis fuiſſe mandatum. Quæ cum ita ſint, propoſitionem meam vel inutilem, vel importunam (præſentium temporum, & Cleri noſtri ſtatus habita ratione) futuram non exiſtimo. Cum enim is noſter, Fratres, in Anglia ſtatus ſit, vt maior a nobis diſciplinæ Eccleſiaſticæ (ſaltem quoad interiorem hominem) pietatiſque obſeruatio, quam ab alio aliquo Clero illarum regionum, vbi liberior

Catholicæ Religionis profes-
sio viget, requiratur; hinc est
quod vsum huius libri, qui
pietatem, disciplinamque Ec-
clesiasticam mentibus Sacer-
dotum appriime insertit, ite-
rum atque iterum commen-
dare audeam.

Hic ergo liber, cum præcla-
ris vbique instructionibus, do-
cumentisque refertus sit, illa
quidem pio lectori consideran-
da relinquo; contentus inte-
rim vnum, aut alterum ex tes-
timonijs ab eo citatis, breuiter
delibare, vtpote quæ magnam
vim habere existimo ad excit-
tandos animos eorum, qui has
paucas meas lineas legerint,
vt relictis riuulis, fontes ipsos
adeant; hoc est, a nostra hac
admonitione, ad ipsum Mo-
linam legendum perducan-
tur.

Primum ergo de duobus his teſtimoniis, ex Diuo Chryſoſtomo deſumptum eſt; cui teſtimonio author noſter, illud citaturus, ita præfatur. Referam, inquit, vnum e Diuo Chryſoſtomo teſtimonium, quod quotieſcunque lego (& nunc quidem illud lego) toto corpore contremiſco. Tanta autem authoritate eſt ſanctus ille Pater, vt fidem ſibi adhiberi mereatur. Verba eius ſunt: *Non temere dico, ſed vt ſum affectus & ſentio: non arbitror inter Sacerdotes eſſe multos, qui ſalui fiant, ſed multo plures qui pereant. In* [illegible] *cauſa eſt, quoniam res excelſum requirit animum, & innumeris oculis illis opus eſt vndique.* Hæc S. Chryſoſtomus.

Alterum teſtimonium eſt quidem recentioris authoris; ſed viri, ob ſingularem pieta-

tem & ſcientiam ſumma apud omnes veneratione habiti; nempe Ioannis Auilæ; qui in tractatu quodam ad Sacerdotes, locum quendam ex S. Chryſoſtomo citans, moxque orationis filum proſequens, inter alia notatu digniſſima, etiam hæc verba ſubnectit: *O Patres*, inquit, *quando ad tribunal ſuum Chriſtus nos citauerit, ibique nobis imputauerit, quod bellorum, peſtium, peccatorum, hæreſum, omnium demum calamitatum & malorum, tam ſpiritualium, quam temporalium cauſæ fuerimus; tunc tandem fortaſsis pœnitebit nos fuiſſe Sacerdotes.* Hæc ille.

Si quis autem me interroget, cur hæ omnes calamitates a Laicis vt plurimum commiſſæ, Sacerdotibus tamen imputandæ, luendæque ſint:

le-

legat tantum ea, quæ Author noſter in eodem libro habet, & eum non ſine cauſa hoc affirmare percipiet. Atque hæc de duobus iſtis teſtimoniis dicta ſufficiant; quæ quidem libenter hic citaui, vt iis illectus & captus pius Lector, ad ipſum librum (quod ſummopere cupio) euoluendum conuertatur.

Accidit autem eo tempore, quo officium meum (quale quale fuit) apud noſtrates, vt noſtis, exercerem; audiuiſſe me nonnullos ea opinione laborantes, vt dicerent, mentalem orationem vtilem quidem & neceſſariam eſſe Regularibus; Sæcularibus autem Sacerdotibus, nec neceſſariam eſſe, nec forſan vtilem. Quæ quidem opinio tunc non parum mihi diſplicuit: verum cum hunc librum (de quo ſer-

mo eſt) attentius ab illo tempore legerim; magis magiſq; mihi quotidie apparet, quam impertinens & erronea fuerit hæc eorum opinio. Nec dubito quin & ijdem ipſi (ſi modo in eadem opinione adhuc ſint) hanc eandem ſententiam, & cenſuram contra ſeipſos pronunciaturi ſint, ſi modo hunc librum attente ac deuote legerint. Si vero e contra hunc librum ſpreuerint, adhucque in errore ſuo hæſerint; tandem aliquando erroris ſui eos pœnitebit, cum ſerius id quidem fuerit, inaniſque eorum pœnitentia.

Et quia idem Author ſcripſit librum de Orationis mentalis excellentia, & neceſſitate (quem librum ille alter *de Inſtructione Sacerdotum*, neceſſarium eſſe Sacerdotibus oſtendit) & hunc etiam librum,

Fra-

Fratres, vobis legendum commendo. Nam cum eodem zelo, siue spiritu, quo prior, scriptus fuerit; & sit quasi appendix ad illum; non minorem ex illo, quam ex priori vtilitatem percipietis. Eo autem magis hunc librum vobis commendo, quia intellexi nonnullos ex Fratribus nostris, qui Orationi mentali quotidie vacant (quod plurimum in ijs laudo, & vt perseuerent adhortor) methodum quandam in hoc exercitio sequi non modo non approbatam, & receptam, verum etiam ab omnibus huius exercitij magistris, nominatim vero ab hoc Authore nostro improbatam: vti legentibus tractatum eius de partibus Orationis cap. 6. manifeste patebit.

Hoc cum scripsissem, æquum existimaui, Reuerendi admo-

dum Patres, & Fratres in Chriſto chariſſimi, vt priuſquam in publicum exiret, illi viro ſiſteretur, ſine cuius approbatione, & calculo minus vobis fore gratum exiſtimaui. Exemplar ergo ſcriptum ad eum tranſmiſi, tum vt officio meo in hac parte ſatisfacerem; tum etiam vt doctiſſimum eius, & grauiſſimum iudicium ſuper hac re conſulerem, ne forte, vt cum S. Paulo loquar, *in vanum currerem, aut curcuriſſem.* Cum autem legiſſet vir ille illuſtriſſimus tractatum hunc meum, adeo eum non improbauit, vt e contrario facile eum approbauerit, & vna cum ſua approbatione, hanc etiam admonitionem valde vtilem & Paſtoralem addiderit.

Quod ſcilicet cum Author ille, quem in præcedenti tractatu

ctatu vobis commendaui, totus pene ſit in inſtruendis Sacerdotibus circa poteſtatem offerendi ſacrificium, & parum, aut nihil omnino dicat, de illa altera eorum poteſtate, qua cura animarum illis, vtpote paſtoribus, demandata eſt; & cum Fratres noſtri omnes, vi iuramenti ſui in Seminariis præſtiti, teneantur (ad arbitrium eorum, quorum cura, & authoritate ad Sacerdotium promoti fuerant) huiuſmodi animarum curæ ſe deuouere; rogauit vir ille Illuſtriſſimus, vt ſupradicto Authori alium aliquem de paſtorali officio optime diſſerentem illis commendarem; vt ſic Fratres noſtri in vtraque officij ſui parte probe inſtructi, totum officum ſuum laudabilius & facilius exequantur.

Visa quidem mihi est hæc eius admonitio tum eius acerrimo ingenio digna, tum etiam pastorali eius curæ consentanea; ideoque non potui quin, pro ingenij mei facultate, illi tam sana monenti humiliter obtemperarem. Sciens ergo, quod Jacobus Merchantius, vir magnæ virtutis, & qui sanctum Carolum Boromæum, magnum illum Sacerdotem, & vigilantissimum animarum Pastorem (ipse etiam Pastor animarum, licet inferioris ordinis) plurimum suspiciebat, bene longum volumen sub hoc titulo, *Hortus Pastorum* scripsisset; statui mecum penitus quidem in hunc authorem inspicere, & maiore cum diligentia, quam antehac potuerim, illum euoluere; vt viderim num liber ipse titulo suo responderet. Cum ergo

magna

magna ex parte illum legissem (nondum enim totum, præ temporis angustia, perlegere mihi licuit) inueni eum dignissimum, qui (mea quidem opinione) ab omnibus illis, qui sacerdotali munere & animarum cura funguntur, non legi solum sed & perlegi mereatur; & vt talem fratribus nostris omnibus sæcularis Cleri in Anglia, eum commendatum esse cupio. Quamuis enim dicti Fratres nostri curam illam animarum non habeant, vi quadam emolumenti alicuius, vel redditus Ecclesiastici, ratione cuius teneantur ex iustitia labores suos, & conatus in huiusmodi animarum salute procuranda impendere; maiori tamen multo, & longe sanctiori vinculo ad hoc tenentur, vi scilicet illius solemnis iuramenti

ab illis in Seminariis præstiti, quod tanto arctius, sacratiusque eos ad debitam huius muneris executionem obligat, quam titulus alicuius beneficij Ecclesiastici; quanto longe sacratior res est promissum Deo per Iuramenti emissionem factum, quam sunt redditus vlli temporales & emolumenta quæuis Ecclesiastica.

Interim (vt ad Authorem meum redeam) sincero animo fateor inuenisse me eum, pro eo quod de eo adhuc legere potui, adeo in doctrina sanum, & in tradendis documentis solidæ illius, auitæque virtutis, quæ ad Ecclesiasticos viros, præsertim ad animarum Pastores spectat, adeo copiosum, vt pœniteat me certe, propriæ vtilitatis meæ causa, quam ex huiusmodi lectione

ctione percipere potuiſſem, ſerius me quidem in eius notitiam deueniſſe. Nihilominus gratulor mihi nonnihil, me tandem aliquando hunc librum vidiſſe, vt, cum mihi præ ſenectute negatum ſit, doctiſſimis eius elucubrationibus vti, ſaltem eum commendarem Fratribus noſtris, vel iam viuentibus, vel poſtmodum in hac vinea ſucceſſuris, qui vt poſſint, ita certe inſtructionibus eius elaboratiſſimis, tam propter ſuam propriam, quam propter illorum, quorum curam gerunt, vtilitatem, vti velint ſpero. Quod quidem ſi, vel ex officij ſui neglectu, vel propriæ doctrinæ & virtutis præſumptione facere neglexerint, ſciant tales, ſtrictiorem fore ſuam rationem, ſententiamque in iudicij die ſeueriorem,

ſi

ſi in munere ſuo exequendo minus vel digni, vel diligentes fuiſſe inueniantur. Sicut enim ille, ſecundum Euangelicum illud oraculum, qui Dei voluntatem ſciens, illam nihilominus facere nullatenus ſtudet, multis vapulabit: ita ille qui Dei voluntatem commode ſcire poteſt, illam tamen ſcire negligit, adeoque non facit, non paucioribus plagis excipietur. Adeo verum eſt Theologorum omnium conſtans illud axioma: affectata ignorantia culpam potius aggrauat, quam minuit.

Vt autem Fratres noſtri aliquatenus intelligant, quanto hic author noſter apud aliarum regionum Eccleſiaſticos viros in pretio ſit, hoc vnum dicere poſſum ex pro-

pria

pria ſcientia, quod ſcilicet cum Doctor Daniel (qui plurimis ex Fratribus noſtris probe notus eſt) in reditu ſuo hinc ad Vliſſiponenſe Collegium, cui digne præeſt, vnum ex his libris ſecum ad proprios vſus attulerit, eumque aliquibus ex Clero Vliſſiponenſi monſtrauerit, adeo illis arriſit hic Author noſter, vt ægre tandem e manibus eorum eum iterum extorquere potuerit, neque hoc, niſi data fide nonnulla ſe exemplaria ex Anglia Vliſſiponem tranſmittenda curaturum: tantæ æſtimationis erat hic author apud Paſtores illos Vliſſiponenſes. Vtrum autem Clerus cuiuſuis alterius regionis plus teneatur ſtudere ijs rebus, quibus ſe perfectum in vocatione, & ſtatu

ſuo

ſuo reddere poſſit, quam noſter hic Clerus, Fratrum noſtrorum eſto iudicium.

Porro integrum hoc opus, ſicut Pariſijs (non ſine mendis) publicis typis excuſum eſt anno Domini 1638. continet quatuor libros. Primus inſcribitur, *Hortus Paſtorum*: ſecundus, *Tuba Sacerdotalis*: tertius, *Virga Aaronis Florens*: quartus, *Candelabrum myſticum*. In limine autem tertij libri præponitur Summarium quarundam reſolutionum ad caſus nonnullos, qui Paſtoribus non raro occurrunt; non contemnenda certe præfatio. In primo, ſecundo, & quarto libro ſuppeditat paſtoribus vberem valde ſegetem ad componendas conciones, exhortationes ad populum, & catechiſmos, totam doctrinæ Chri-

Christianæ summam non leuiter percurens. In tertio autem libro Pastorem instruit, docetque quibus virtutibus ornari, & quibus vitijs vacare debeat, qui hoc munere rite fungi velit. Huius vero tertij libri frequentem & diligentem lectionem, tanquam maxime illis necessariam, Fratribus nostris præcipue commendo. In quo quidem libro si occurant nonnulla, quæ omnium palatis non vsque adeo placeant, non propterea minus æstimandus est noster author. Si enim nullos authores nostra lectione dignos censeremus, nisi qui omnibus per omnia arriderent, nullus pene, inter tam multos, a nobis hodie author legeretur. Hoc autem dico, quia in illo libro viros Ecclesiasticos

cos ad erigendas congregationes, tanquam rem vtilissimam ad Clerum in suo munere perficiendum & instruendum, adhortatur: Quod quidem licet forsitan omnibus vsque adeo non arrideat, meo tamen iudicio, ipsius in hac re opinio non tantopere reprobanda est, præsertim cum intelligatur in illo sensu, quem præ se ferre videtur. Vt vt est, nemo in hac re ipsius opinionem, nisi voluerit, sequi tenetur.

In secundo autem tractatu huius libri, sectione secunda refert ex Sophronio historiam quandam de S. Leone magno, quæ quidem historia non inutiliter legi potest ab ijs, qui Seminariorum nostrorum curam gerunt. Historia autem sic se habet. S. Leo

cum

tum oraſſet, & vigilias (prout moris erat) ad S. Petrum quadraginta diebus egiſſet, orans ſanctum Petrum, quatenus pro peccatorum ſuorum remiſſione precator & interceſſor ad omnipotentem Deum accedere vellet, apparuit illi ſanctus Apoſtolus dicens, ſe quidem oraſſe proeo, peccataque eius omnia remiſſa eſſe, exceptis illis, quæ per manuum ſuarum impoſitionem contrahere potuerit, pro qua quidem manuum impoſitione ſtrictam affirmauit eum, apud ſummum Iudicem, manere rationem. Hæc, inquam, hiſtoria non inutiliter a Seminariorum noſtrorum Rectoribus legi poteſt; non quod ipſi ratione officij ſui, facultatem vllam habeant imponendi manus, ad-

adeoque ab hac Diui Petri graui admonitione immunes esse videantur; sed quod, vt puto, indultum a Sede Apostolica concessum habeant, vi cuius suo tantum præmisso Alumnos suos ad sacros Ordines promouendos, de vita & moribus examine, Episcopo præsentare poterunt: vnde necessario sequitur, quod illi, qui eos ex tali priuilegio seu indulto præsentaverint, respondere pebeant pro defectibus quibuscuis, qui in illis postea inuenti fuerint, & non Episcopus, qui manus illis imposuerit. Et certe maior cura & diligentia (mea quidem opinione) adhibenda est in examine de vita & moribus eorum, qui initiandi sunt, quam in examine de doctrina & scientia;

tia ; quamuis nec in hac parte ſegnius ſe gerere debeant noſtrorum Seminariorum Præpoſiti. Tandem vero (vt ſinem faciam) diligentem lectionem præfati authoris, & ſedulam documentorum in eo contentorum executionem Fratribus noſtris omnibus, quanta poſſum contentione, commendo.

Atque hic finem facio, ſuppliciter & Deum, & vos Fratres meos in Chriſto obſecrans; quatenus defectibus meis (quos plurimos fuiſſe fateor) ignoſcatis & indulgeatis. Hoc porro vnum me male habet, quod in illo munere quod inuito, & reluctanti mihi impoſuiſtis, oneri potius quam commodo vobis fuerim. Deus Opt. Max. (cuius miſeration es ſupra omnia opera-

ra eius) faxit, Fratres, vt, poſt vitæ huius curriculum, occurramus omnes in beata illa patria, quam præparauit ſeruientibus ſibi. Amen.

Ianuarij quinto,
Anno ſalutis 1643.

Seruus veſter humillimus,
& in Chriſto frater
amantiſſimus,

ANTONIVS CHAMPNEVS.

Approbatio Doctorum.

EPiſcoporum ſcripta, (quos poſuit Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei, & populo fideli ſanam tradere doctrinam) calculis Doctorum nequaquam indigent. Nos igitur ſubſignati in ſacra Theologiæ Facultate Pariſienſi magiſtri, opuſculum hoc, cui titulus eſt, *Monita quædam vtilia pro Sacerdotibus Seminariſtis miſſionarijs Angliæ, vna cum methodo agendi cum hæreticis, ſchiſmaticis, & Catholicis Anglis, Authore Richardo Smitheo Epiſcopo Chalcedonenſi Angliæ & Scotiæ ordinario*, non tam approbamus, quam ſuſcipimus, ac veneramur. Adiectam vero appendicem, quæ inſcribitur, *Legatum Antonij Champnei Doctoris Sorbonici Fratribus ſuis Cleri Anglicani Sacerdotibus teſtamento relictum*, veluti cum ſancti viuentis documentum charitatis, tum ſancti morientis pignus amoris, pergratam accipimus & approbamus. Datum Pariſijs 14. Nouembris 1645.

HOLDEN.

O DVLÆVS.